





23

DISSE R TAT I O T H E O L O G I C A  
DE  
**MIRACVLIS  
IN REGNO GRATIAE**

---

Q V A M  
P R A E S I D E  
V I R O  
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO  
D OCTISSIMO

**SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN**

S.S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROF. PUBL. ORDIN.  
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE  
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO  
ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS SOCIO  
PRAECEPTORE AC PATRONO PIE AC DEVOTE  
AD CINERES VSQVE COLENDO

D. APRILIS A. C<sup>1</sup>CCCLIII

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

A V C T O R

**M. IOANNES CHRISTOPHORVS THENN**

A V G V S T A - V I N D E L I C V S.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTZ.



DIGESTA TITULIS

DE

# MIRACULIS IN REGIONE GRATIAE

SUMMA AENEAE PRAECEPTE, EXCEPTE INTISSIMO  
DUCITIS M

SCISMATI JACCO BYMAGARTIN

EX THEODORAE DOCTOLAE ET PROX. PAV. GRIM

STINIANI TIB. DOCTOLAE

LEONIUS AVICULAM ET HONOR

ACQUAMAN RICARDIUS EXAGAMENSIAS AGO

PRAECEPTORIAC TUTRIONE PIE AC DEVOTIE

AD CINERES YEGI ET CORINDO

ET ALBILIS A. CLOSPERI

LYCIDIO ERADICATORAT EXAMINI AYHINT

A. CLOSPERI

M. IOANNIS CHRISTOPHERIUS THINN

ACADEMIA MAGDEBURGICA

HAGAE MAGDEBURGICAE

TYRICIUS VONIS ERIDIBRIDI GRANBRTI



I. N. I.  
SECTIO I. GENERALIS  
NECESSARIA DE REGNO GRATIAE  
IPSO TRADENS.



§. I.

uemadmodum miracula in regno naturae omni Proposita  
attentione digna sunt, quippe quae luculentissi-  
ma de perfectionibus diuinis testimonia suppe-  
ditant : ita miracula, quae in regno gratiae esse  
dicuntur, non minus sic nobis comparata esse  
videntur, vt dignam sui meditationem mereantur. Potentiam  
enim, summatam scientiam, sapientiam, iustitiam atque bonitatem,  
quae in Deo maxima est, eum in modum edifferunt, vt, coecus sit,  
oporteat, qui haec diuina axiomata, in clarissima luce posita ex iis  
non intelligat. Cum igitur in eo simus, vt specimen quoddam theo-  
logicum aliorum examini submittamus, opera preium esse duxi-  
mus, si primas saltem lineas tractationis eorum duceremus, gloriae  
summi Numinis cognoscendae inseritur; idque eo magis gratum  
fore et acceptum lectoribus speramus, cum argumentum hocce a  
nemine iam occupatum esse videatur. Adsit modo Numen beni-  
gnissimum conatus nostris, eosque finem exoptatissimum attingere  
iubeat !

A 2

§. II.

## §. II.

**Quid sit rex.**

Priusquam vero tractationem ipsam incipiamus, quaedam praemittenda esse censemus, quae partim fundamenti loco adesse, partim vero maiori perspicuitati inseruire possunt. Propositum itaque nostrum monet, ut primo omnium, quid sub rege, quid sub regno intelligamus, explicemus. Ordinamur a rege. Rex ille a nobis futuratur, cuius imperio societas aliqua maior s. respublica subiecta est. Imperium vero et potestas aliquando variis modis limitata est, ita ut non semper licet regi facere prout luet; vel nullis limitibus est circumscripta. Reges, quorum potestas limites non agnoscit, nominamus Monarchs. Hisce praemissis, aliusque veritatis, quae hic merito supponuntur, in mentem revocatis, facile erit ad intelligendum, Deum trinum regem esse spiritum, et in primis animarum humarum, quoniam omnes ab eo dependent eique subiacent. Cum vero Deus potestate in spiritus plane absoluta polleat: insuper patebit, Deum esse regem monarchicum.

## §. III.

**Quid sit regnum.**

Regnum quid sit, facile ex antecedentibus deriuari poterit, scilicet est societas illa hominum maior s. respublica, quae imperio unius et legibus ab ipso datis obedientiam praefstat. Cum itaque spiritus omnes creati necessario Dei imperio subiacent, et legibus ab ipso, ex potestate, qua in illos poller, absoluta, datis obedientiam debent; manifestum est, dari regnum Dei, quod veriatur circa creatos spiritus.

## §. IV.

**Quid regis sit officium docetur.**

Cum boni regis sit eo vniue tendere, ut ciuium suorum felicitatem, quam fieri potest maxime, promoueat: ad eundem modum Rex Dei nihil inde ab initio habuit prius, nihil antiquius, nisi vt spiritus, ciuius fuos aeternum felices redderet.

## §. V.

**Num leges condere debent.**

Quam primum regis notionem eiusque finem nobis represef-tavimus, simul etiam adiutamus, necesse est, ut tum facultate pollet, leges condendi ciuibusque suis imperandi; tum vero etiam facultatem hanc aciu ipso exerceat, normasque praescribat, ad quas ciues

cives actiones suas determinare iubentur; quas leges vocare confue-  
vimus. Quae cum ita sint, manifestum quoque euadit, Deum re-  
gem, cui omnes spiritus subiacent, non minus leges quasdam san-  
cuiisse, iuxta quas spiritus actiones suas componere debeant, quo  
minus saluti suae non solum impedimento non sint, sed etiam ean-  
dem promoueant, augent atque amplifcent.

S. VI.

Si prima rerum initia repetimus, docemur, spirituum monar-  
cham hominibus tum leges physicas, tum morales, & has quidem  
vel natura, vel ex quadam reuelatione coram facta, cognitas pre-  
scripsisse. Quibus si morem gessissent, quo vero per vires libera-  
lissime concessas poterant; procul dubio ad veram duraturamque  
felicitatem peruenissent.

Quasnam  
Deus rex ci-  
uibus suis le-  
ges dederit  
explicatur.

S. VII.

Verum enim uero cives regni istius, teste Scriptura S. et con-  
spirante quoque experientia, debitae subiectionis immemores, at-  
que aduersus regem suum rebellem induentes animum, positiuam  
quandam legem diuinitatis datam, et simul ipsas naturae leges turpi-  
ter transgressi sunt. Hinc aliter fieri non potuit, quam ut omni ad  
felicitatem, quae ciuiibus destinata erat, iure exciderent, regis iram  
in se concitarent, a viribus ad salutis suae prospiciendum defitueren-  
tur, inque miserrimam fortem adeo incurrerent, ut per summam  
Dei sanctitatem et iustitiam eius puniciam, sine fine infelices relin-  
quendi essent; nisi modus inueniri potuisset, quo laesae Numinis  
supremi iustitiae satisficeri, rebellibus venia dari, iidem denuo in  
gratiam recipi et ciuium numero adscribi potuerint.

Transgressio-  
ne harum le-  
gum cives se-  
metipso in-  
felices reddi-  
derunt.

S. VIII.

At enim uero cognovit Deus, pro summa, qua floret, scien-  
tia, modum, quo ab aeterno interitu vindicari possit genus huma-  
num; per tenerimum etiam, quo erga creaturas fertur, amorem ab  
aeterno decrevit eodem vii, ad homines lapsos adgratiandos; pa-  
tesecit eundem, suoque tempore effecit omnia, quae ad eum actu  
introducendum pertinebant. Neminem enim fugit, lapsis Deum  
promisisse redemptorem sufficientissimum, diuinae naturae unitum, in-

Hinc Deus ad  
restaurandam  
iporum felici-  
tatem re-  
demtorem  
constituit,

finici valoris λύτρον procuraturum; quod nunc etiam felicissime praestitum est; quo reatus culpae et poenae omnis tolli atque e contrario ius ciuitatis nec non aditus ad felicitatem restaurari possit.

## §. IX.

Adeoque regnum quod nunc obtinet gratiae regnum dicitur,

Nunc equidem regem habemus eundem, idem regnum, eosdem ciues, eadem eorum officia, iura eadem, finemque eundem, ad quem collineare debent. At dissent tamquam regnandi modus et forma, ab ea, quae olim obtinuit. Amisso enim ciuitatis iure, amissis omnibus ad bene agendum viribus, nulla via haec recuperandi amissa penes homines per se spectatos superstite; non nisi gratuito erga miseros fauori locus relinquitur, cui tribui debet, quod pena promerit non sit continuo illata, porro, quod mediator constitutus, promissus et iusto tempore exhibitus sit, item quod meritum ab ipso partum acceptatum sit, et denique quod intercedente Spiritu S. opera nunc adplicetur, viresque indulgeantur ad ea obseruanda, quae boni ciuii sunt et nos aevum felices reddunt. Deus sane ad haec neque externa necessitate coactus, neque spe amplificandarum perfectionum ad ea praestanda affectus, multo minus metu eas amittendi inductus est, sed vnice ex naturae suae infinita perfectione et summa bonitate egit. Cum vero gratuitus eiusmodi fauor *gratia* vocetur: consequens est, ut nunc *gratiae regnum* seu *gratiae oeconomia* ortum sumiserit.

## §. X.

Quinam sit rex in hoc regno gratiae?

Iam cum ex ante dictis claret, homines habere, cur Christo, Dei filio, imprimit acceptum ferre debeant, quod reconciliari, ciuumque honorabili titulo iterum condecorari possint: facile est ut intelligamus, ab eo pendere, in restaurato hoc regno, ad unum omnium, eum omnes felices efficere, eum omnes ad salutis viam dirigere, eum vnice aduersus cuncta hostium molimina ciues defendere; atque hinc in eum quoque oculos conuertendos, ipsius placita amplectenda, eius vnice nutum sequendum esse. Cum vero haec Regis sint: sequitur Christum praecipue regni gratiae regem esse.

## §. XI.

§. XI.

Sacras paginas qui legit attenta mente, ignorare non potest, Quid sit regnum Deum Patrem Christum ab aeterno hoc gratiae regnum esse paclum; gratiae eundem V. T. fidelibus tanquam potentissimum regem promisso, declaratur. atque eum in finem debito incarnationis tempore vnxisse; sicuti neminem quoque latere poterit, Christum se regem natum declarasse, regnum promeruisse, occupasse et nunc etiam feliciter administrare, vsque dum debellatis hostibus omnibus, vniuersalibus comitis habitis, omniumque, quae possunt, restitutione facta, illud tradatur patri, vt Deus trinus in regno, quod imminet, gloriae omnia in omnibus 1Cor. XV, 28. Quibus ita positis, haud difficeretur concedetur, regnum gratiae preissus definiri posse per socios, quae existit inter Christum, tanquam regem, et inter credentes, tanquam ciues.

§. XII.

Quemadmodum ciuium est, vt regem agnoscant, ius et fundamentalim imperandi perdiscant et adprobent, leges regni fundamentales rimentur easque obseruent, modumue regnandi et processum circa ciuium salutem pernofcant: ita sine negotio intelligitur, eadem tenenda esse de regno Christi in his terris, quod gratiae vocamus. Cum igitur ius ad regnum, regnandique fundamentum ex §. XI. manifestum sit, nostri nunc agendi ratio requirit, vt etiam de legibus processuque gratiae breuiter videamus, sequenti translationi viam munituri. Leges itaque, quae, vt ciues felices fierent, sunt stabilitiae, potissimum huius sunt argumenti. 1) Cum homines in statu versentur miserrimo, in quo nonnisi aeternum infelices esse posunt, gratiaque a Deo illis exhibenda voluntatem ipsorum liberam, siquidem gratia esse velit, non cogat: neesse est, vt operatione Spiritus S. quadam moti, deplorandum in quo hue usque fuerunt, statum agnoscant, et de crimen atque delicto transgressio-nis legum diuinarum sese conuincant, istamque conuictionem per legem tum naturalem tum reuelatam promoueant Ier. III, 13. Cum vero 2) non sufficiat, vt quis peccata quidem agnoscat, interim tamen eadem amare perget: requiritur, vt illum poeniteat haec commisso, tristitiaque adficiatur, eundemque in finem gratiae Spiritus

ritus S. locum relinquat praeparanti; et denique 2) peccatum, tanquam causam iacturae plurimorum bonorum, praeferunt vero amoris Dei, detestatur, exsecratur atque odio habeat.

Et conti-  
nuantur.

## §. XIII.

Quibus factis, serio de abolendo peccato, et emendando statu suo cogiter, necesse est, et qua ratione gratiae diuinæ iterum particeps fieri possit, inquirat: hinc 4) verbum Dei et praeferunt euangelium euoluat, mediterat atque quid sancta si voluntas Domini, ex eodem discat. Qui vero poterit illud fieri, cum naturalis homo non percipiat, quae Spiritus S. sunt 1 Cor. II, 14.: hinc 5) opus est, ut a Deo illuminationem intellectus sui, spissis admodum tenebris quad spiritualia circumfusi, exoret, ut ipse per Spiritus sui operationes salutarem doctrinarum diuinarum cognitionem sibi esse iubeat. Postea requiritur 6) ut homo regeneretur, id est, ut totus ille diuinis operationibus penitus immutetur. Quid vero prodelsen illi haec omnia, nisi iustitiae diuinæ pro peccatis priori tempore commissæ fieret satis? restat debitum, proinde non iustificari poterit, nisi perfectam offerre poterit satisfactionem. Itaque 7) fide in Iesum Christum, salvatorem generis humani, gaudeat, eumque in finem sanam sufficientemque cognitionem eiusdem sibi adquirat, plene atque perfecte veritatibus hoc spectantibus, dubiis omnibus postpositis, adsentiat, et denique firmissimam fiduciam in eodem reponat, quaenamque bona propter illum exspectet, et promissorum complementum quam certissime speret. Hoc legitimate et Spiritus S. gratia adiuuante factò, tunc demum iustificatur et de peccatis suis absolvitur. Cum vero haec omnia totalem mentis mutationem loquantur; quilibet facilime videt, 8) peccata, quae antea temporis secessatus est homo, non amplius locum habere posse in eodem, sed necesse esse, ut magis magisque ab iisdem se se auerterat, virtutem exerceat, et quotidie in hoc virtutis studio maiora capiat incrementa, breuiter: ut auxilio Dei suffultus quotidianæ sanctificationi et renovationi se se tradat. Hanc ob causam 9) mediis gratiae quam diligentissime vtratur, scilicet verbo Dei, precibus et Sacramentis, gratiaeque Spiritus coelestis cooperanti nunquam non locum relinquat, et ad vitæ finem usque talia facere non intermit-

*Necessaria de regno gratiae ipso tradens.*

5

termittat. Ap. II, 10. Conf. S. V. **TRAESIDIS** *Theolog. Moral.* §. 69.  
seq. et Excellent. **STIEBRITZ** *vermischte Abhandlungen* p. 259.  
seqq.

§. XIV.

Hicce legibus quidem satisfaciendum esset perfecte, omnibus Vires iisdem singulisque ciuibus huius regni ad eas, quam fieri potest, fidelissime exsequendas obligatis. At enim uero, quamvis earum obseruatio per naturam spirituum perbene si possibilis, et, si adu plementaretur, admodum foret salutaris, siquidem perennis ipsorum felicitas inde penderet: illi tamen viribus careri penitus, voluntati regis sui obtemperandi. Relicto enim integritatis statu, ipsorum vires iam neque sufficient ad bene cogitandum, neque ad bene volendum, neque etiam ad bene faciendum. Hinc necesse erat, ut ipse Deus illis porrigeret vires, quibus instruti, hicce legibus satisfacere potis erant. Quoniam vero illa ipsa virium subministratio ex gratuito Dei fauore trahit; videre de nou licet, quod sic prodeant leges gratiae, mutationes, motus et actiones gratiae, regnum seu oeconomia gratiae, rex gratiae.

§. XV.

*Effectum naturale* dicimus illum, qui rationem existentiae suae sufficientem habet in essentia et natura entis finiti, adeoque per vires entis secundum leges ipsi praescriptas actuatur. *Effectus supernaturalis*, qui etiam *miraculum* nominatur, est ille, qui rationem suae existentiae sufficientem non habet in essentia et natura entis contingens, adeoque per vires entis secundum leges ipsi praescriptas non aquatur.

SCHOL. Nobis de possibiliitate effectus hic loci tantum sermonem esse, nemo est, qui non videat.

§. XVI.

Quod si nunc conditionem regni seu oeconomiae gratiae penitus consideremus, sine labore eo perducemur, ut statuamus, eandem totam, tum quod ad publicationem, tum quod ad actionem eius attinet, respectu regni naturae esse miraculum. Cum enim de regno gratiae per rationis sibi relictae vires nihil sciamus,

Regnum gratiae respectu regni naturae totum est miraculum.

B

sed

sed illud ex revelatione Dei immediata immorescere debeat atque re ipsa innoverit, revelatio autem divina non nisi pro miraculo habenda sit: nemini non obuium est, publicationem hanc miraculis adnumerandam esse. Cum porro totum regnum gratiae, gratuitus tantummodo Dei sit fauor; legesque gracie, et vires ad eas obseruandas necessariae, a sola et libera voluntate Dei dependeant, (§. IX, XII, seqq.), actionem etiam eiusdem effectum supernaturalem iure dici, certum est. Quod ut eo magis discatur, animaduertamus, restitutionem generis humani sacras iuxta litteras administrandam esse ad analogiam primariorum Dei operum, creationis ex nihilo, resuscitationis mortuorum, generationis hominum, et sic porro; quae omnia quam maxime miraculorum nomen merentur; ita ut nunc semper et ubique patet, homini deberi nihil, Deo autem omne, quod aliquid salutare est. Conf. s. v. PRAESIDIS l. c. §. 65. CELEBERR. STIEBRITZ Widerlegung der Naturalisterei.

Miracula in mundo fieri propter regnum gratiae probatur.

Ad regnum gratiae pertinent spiritus; spiritus vero, quae ad perfectionem suam pertinent, duplicit via erunt, vel via sensuum, vel via rationis. Illa quidem facilis et iucunda, multaque exhibet vera; sed facile etiam quis errare, a vero bono plane auerti, eumque in statum redigi potest, quo aeternum infelix manet. Haec vero tuta atque sectura, in primis si ratio illuminata euadit; sed obtenu admodum difficilis, ardua, non cuius acceſſa, taediis initio obſepta sensualibus. Quum itaque homines, sensibus a pueru adfici, illam amoeniorē et iucundiorē, attamen minus turam viam ingredi malunt, hanc vero auersantur plerumque: opus est, ut Deus, nisi in creberimus incidere errores velit homines, et ipſe fine suo iterum excidere, facinoribus egregiis ad attentionem commoueat ciues, ut ratione discant utri, sensuum vero illecebras respuere et rectiora amplecti. Quemadmodum vero in humanis contingere solerit, ut quotidiana vileſcant; sic etiam naturalia, rupore quibuscum nimiam familiaritatem contraximus, nobis viluerunt, ita ut non raro sufficere nequeant, ad hunc finem obtinendum. Hinc ad supernaturalia seu miracula veniatur, necesse est. Miraculis ergo locus relinquitur in mundo propter regnum gratiae, seu propter necceſſi-

*necessitates regni gratiae; ut homines scilicet iisdem percellantur atque ad vere sibi salutaria perlicantur. Accedit etiam alia ratio, qua idem confirmari potest. Cum scilicet regni gratiae existentia et iudeos nonnisi ex reuelatione pateat; multae autem reuelationes extant, a nostris toto coelo diversae; rudiiores autem ii non sint, qui veritatem unius prae altera explorare valeant; ea autem extra dubium ponit miraculis eius caussa editis: consequens est, ut sperare possimus, Deum, per summam, qua in homines ferruc bonitatem, veram reuelationem, quae verum gratiae regnum delineat, indubitate miraculis corroborasse.*

§. XVIII.

An miracula existant actu in regno naturae; a priori, tanquam Quod etiam res facti, demonstrari et cognosci non potest: hinc innotescere de S. Scriptura testatur. ex monumentis historicis summa fide dignis. Ex his discendum, tum quod reuera edita, tum qua de caussa patrata, tum etiam, quinam effectus ex iisdem secuti sint. Quod si vero monumenta fide digna querere liber, nuspianam certiora inueniemus, quam in reuelatione nostra, quae a Deo ipso ortum trahit. Hanc vero si euoluere placuerit, intelligemus ex eadem, Deum non solum plura edidisse miracula; sed etiam qua de caussa ab ipso sunt patrata, quosnam effectus pepererint, et quoisque durauerint. Exponitur enim in eadem, miracula facta esse ad commendandum hominibus regnum gratiae, ad mouendos mortalium animos, ad eos praeparandos, ad attentionem, ad amplectendas leges gratiae. Comperimus per eandem, Deum tres in primis eum in finem periodos constituisse, pluribus miraculis notabiles. Prima istiusmodi periodus fuit tempore constitundi cultus leuitici, sub Mose et Iosua, qui umbram honorum et totius regni gratiae exhibebat. Miraculis enim Israeliticus populus crebrioribus habebat opus, ut eo certior fieret, leges istas, in posterum obseruandas, easque admodum letatas, a Deo ipso datas atque constitutas fuisse. Altera periodus deprehenditur tempore collapsi cultus leuitici sub regibus. Alios enim tunc temporis sectabantur Deos, et gentilium more corrupti viuebant. Hinc per Prophetas itidem crebriora fuerunt patrata miracula, ut, pessimam viuendi rationem derelinquentes, ad meliora

melliora redirent. Tertia periodus miraculorum fuit tempore abrogandorum umbrarum, et introducendi cultus, qui consistebat in mero cultu spiritus et veritatis, sub Christo et apostolis. Introducione enim cultus leuitici tam multis et praeclaris miraculis facta; necesse erat, ut abrogationem eiusdem non mindra, sed praecleariora adhuc facta comitarentur, ut proni fierent homines ad dimittendum veterem et nouum cultum accipiendo. Videamus ergo Scripturam S. quam perfectissime nobiscum consentientem, miraculis propter regnum gratiae locum esse.

## §. XIX.

Deus tamen  
non nimis  
multiplicat  
miracula.

Licet vero Deus tam multa et egregia propter necessitates regni gratiae ediderit miracula; non tamen id quod summa, quae poterit, sapientia postular, prodigus fuit eorundem, sed certas obseruavit regulas atque leges in iisdem exhibendis, ne sine necessitate existenter aut multiplicarentur, atque sic demum vilescent. Hinc prius, ubi patrata iam sufficere poterant, noua non edidit. Secundo, ubi irritus fuisset eventus ex omni parte et universaliter; ibi nulla comparuerunt. Nam sine ratione sufficiente agere sciret Deus, aut eventum ignorasse dicendum esset, si in hoc catu eadem praestaret. Confilio autem bono dicimus, ubi irritus fuisset ex omni parte et universaliter, quam libentissime hoc ipso largientes, Deum miracula patrare posse, licet respectu maxima pars eorum, quorum in conspectu facta sunt, in irritum cadant, et minima pars tantum iisdem ad attentionem commoueatur. Ex hac secunda, quam indicauimus, regula fuit instar consecrari haec specialis: Vbi induratio supremi gradus locum habuit, ibi miracula non praefixa sunt. Res per se ipsam claret. Indurationis supremus gradus est ille, ubi quis nulla ratione, nullis praeclaris factis, ad attentionem commoveri et ad meliora reduci potest, sed habitum in malo adeo confirmatum habet, ut quibusvis motius ad bonum resista. Hinc sapientiae summae nec non iustitiae repugnaret, si Deus miracula patrare veller; licet praesiderit, inutiliter plane et frustra omnipotenti fore occupatam, finemque praefixum nullo modo obtinum iri.

## §. XX.



§. XX.

Ex his simul lucem accipit effatum illud Christi de Tyriis et Sidonii Matth. XI, 21. Luc. X, 13, qui, cum miraculorum abundantia et impetu ad poenitentiam perduci potuissent, non tamen illis donati sunt. Quamvis enim probe intellexerit Deus, Tyrios Sidoniosque ordinario modo ad veritatem amplectendam non perduci, miraculis vero, qualia Christus apud Chorazitas et Bethsaidenses edebat, ad seriam poenitentiam vocari posse; bene tamen non minus praeuidit, ipsorum emendationem minime constantem futuram, ipsos potius ad priora festinanter redituros, indeque grauissimum reatum cumulaturos, intolerabioresque poenas sibi comparaturos esse. Cum vero hac ratione praestita inter ipsos miracula non solum esse quia caritura, sed etiam ipsis nocumento futura cognoscet Deus: reclysmate ea omisit. Accedit, quod, cum Deus tantum certas periodos miraculæ notabiles constituerit debuerit (§. XVII.), sapientiae summae repugnasset, illa tunc temporis patrare miracula, quae tempore demum Christi patrari debabant, quoniam si ita multiplicata fuissent, facillime viluissent, ita, ut tempore Christi effectum fere nullum productura fuissent.

SECTIO II. SPECIALIS  
QVAE DE MIRACVLIS IN REGNO  
GRATIAE AGIT.

§. XXI.

**Q**uae de regno gratiae, eius indole, legibus et processu, quo Deus virtutur, dicta sunt, vel se ita habent, ut Deus ab iis nunquam secedat, sed semper et ubique nec non vniuersaliter valeant; vel ita se habent, ut ordinarie arque vtrplurimum eadem adhibeat, aliquando vero et extraordinarie alia in eorum locum surroget. Si hoc quidem est: prodeunt in regno gratiae mutationes, quae rationem sufficientem existentiae suae non solum in hominis natura, sed etiam in ipsis regni constituta indole non agnoscunt, et per liberrimam, potentissimam, sapientissimam, atque optimam Dei voluntatem solam

Quid sint miracula in regno gratiae docetur.

lam determinantur. Cum vero quae ex natura entis alicuius finiti non fluunt, supernaturakum s. miraculorum nomine veniant; miracula in regno gratiae his positis dari, palam est.

**SCHOL.** Nemo putet, nos, dum (§. XVI.) adserimus, totum regnum gratiae miraculum esse, nostri immemores, contradictoria loqui, quando nunc demum de miraculis regni gratiae verba facturi sumus. Totum gratiae regnum, quoisque pacet, respectu regni naturae est viisque miraculum; sed de eo iam non amplius loquimur, vrpote qui potius inter se comparamus in ipso regno gratiae ea, quae iuxta semel stabilitam oeconomiam vnice atque ex omni parte sequuntur, et ea, quae ex hoc stabilito ordine non promanant. Existente igitur diverso respectu, diuersis omnino praedicatis vii licet. Atque eam ob causam non inepte ordinem, procellum, et toram indolem regni gratiae, in quantum vplurimum atque ordinarie vallet, naturaliter dicimus; sicuti mutationes subinde introductas, quae per ordinaria non determinantur, supernaturales s. miracula in regno gratiae salutamus, si quidem illae possibiles sint et actu dentur. Eadem ratione rem expoferunt Perill. L. B. de wOLFF Psychol. rat. §. 403. BILFINGERVS in dilucidat. §. 230. seq. aliquie: a quibus etiam scholae theologicae non abhorrent. Nominare nobis licet instar omnium S. V. PRAESIDEM in Theol. Morali §. 65. schol. EI. Dissert. de Naturae et Gratiae nexu.

## §. XXII.

Partitio trationis.

Nos in eo sumus, vt miracula haec adseramus: operam itaque dabimus, vt primo possibilitatem eorum euincamus; quo, si adiu, quod secundo loco eruemus, existunt, patere queat, ea summa cum ratione admissa esse.

## §. XXIII.

Possibilitas miraculorum gratiae intrinseca euincitur.

I. Quod igitur ad possibilitatem miraculorum regni gratiae attinet; agendum! videamus, quid de intrinseca, quid de extrinseca eorundem possibilitate sit statuendum. Ad *intrinsecam* quod pertinet, haec ex iisdem principiis facilime deriuari poterit, ex quibus possilitas omnium et singulorum miraculorum profluit. Fieri enim posse, vt miracula patrentur propter totius mundi et legum naturalium contingentiam, nec non propter Dei, mundi creatoris legumque auctoris, omnipotentiam, quis non videt? Hinc quoniam ista ab aliis saepe saepius excusa sunt, hic non repetemus.

mus. Eadem vero haec, si spectamus regnum gratiae, occurrunt. Ciues eiusdem sunt spiritus, sed tamen contingentes, tum qua existentiam, tum qua mutationum confectiones, adeoque mutationes illorum omnino alter fieri et mutari possunt, prout libuerit Deo; totum etiam regnum gratiae est contingens; quid ergo impediret, quo minus tolli, mutari, atque aliud plane fieri possit? Leges porro, quibus illud dirigitur, contingentes esse patet, adeoque posteriri, transmigrari, aliaeque mutationes in illis non fundatae produci possunt. Habemus denique Monarcham et rectorem huius regni gratiae omnipotentem, a quo haec omnia dependent, qui cuncta efficere valer. Quis igitur negabit, fieri in regno gratiae miracula posse, atque Deum, manifestacioni gloriae suae quam maximam intentum, quando per leges ordinarias aut plane non, aut minus conuenienter obtinetur, quod ipsis placet, leges istas libere latas migrare et effectus immediata operatione producere posse?

Conf. Celeberr. STIEBRITZ *Vermischte Abhandlungen p. 334. seqq.*

§. XXIV.

Placet num, quo certiora et luculentiora haec euadant, vt rius progrebi, et quomodo *extrinseca* eorundem possibilitas se habent, monstrare; utrum scilicet summae Numinis perfectioni, in doli ipsius regni gratiae, et naturae ciuium illius liberae, conueniens sit, vt miracula eiusmodi edantur? Primo itaque, utrum cum attributis diuinis considerare queant, videndum erit. Quod ad *moralia* attinet, tantum abest, ut iisdem contradicant, vt potius per eadem felicissime stabiliti posse videantur. Ut igitur a *bonitate*, quae in Deo summa est, incipiamus: vi eisdem promptus paratus est, ad res creatas, praefertim vero ratione praeditas, tanta perfectione tantaque felicitate ornandas, quantae capaces sunt unquam. Cum vero fieri possit, certas ob causas, ut quibusdam via ordinaria non sit sufficiens, illas consequendi perfectiones, quarum sunt capaces; quis non intelligit, Deo summe bono non repugnare, ut illis extraordinario modo perfectione tribuat, quibus adhuc carent, et forsitan semper carituri essent? Cum itaque miracula media esse queant, vel perfectiones nouas conferendi; vel perfectiones tribuendi cuidam, qui ordinarie earum expers mansisset; vel imperfe-

*Extrinseca  
monstratur  
1) respectu  
attributorum  
Dei mora  
lium.*

seditiones auertendi, quae certo certius, stante naturali via, imisi-  
nuissent: consequens est, ut per bonitatem Dei patrari queant.  
Nec etiam *santitati* Dei summae repugnant. Nonne enim maxi-  
mam ad bonum propensionem, summamque mali auerstationem te-  
statam facere posset, si miraculose eum ad saniora reuocaret, qui  
ordinarie in ordinem redigi non poterat? Cum *sapientia* Dei aequo  
bene consentire possunt. Cum enim Deus sibi finem constituerit,  
ut gloriae suae manifestatio et salus, quae possibilis est, hominum  
promoueantur: nemo dubitat sapientiam Dei requirere, ut, si or-  
dinaria ratione finis hic, aut plane non, aut non ita bene, obtineat-  
ur, extraordinarie perficiatur? Licer autem hac ratione miracula  
non conspirent cum regulis specialioribus, tamen consentire possunt  
cum generalioribus et cum fine ultimo. Maior enim fortassis ma-  
nifestatio gloriae Patris, maior glorificatio Christi et maior Spiritus S.  
operantis virtus atque perfectio obtineri atque exferi potest. Ne-  
que etiam *iustitiae* diuinae aduersantur, quoniam enti perfectissimo  
quam maxime consentaneum esse videtur, ut illos, qui non propria  
ex culpa veram ignorantiam, immediata operatione ad rectiora  
reducat, meliora edoceat, effectusque in iis producat, quales alii  
non nisi praevia obseruatione ordinis constituti, et paullatim, con-  
sequi poterant. Imprimis vero cum *remuneratoria* Dei *iustitia* con-  
spirare possunt: inferius enim ostendemus, miracula etiam dari in  
fructibus, ex studio sanctitatis prouenientibus. Hoc vero posito,  
Deus sic extraordinarium superatarum tentationum gradum, et to-  
leratorum proper Christum malorum extraordinario plane modo  
compensare potest.

## §. XXV.

Quod ad illa Dei attributa attinet, quae *naturale* seu *physica*  
nominare solent, neque per haec impossibilia esse, facilissimo expe-  
diri posse negotio videtur. Quam optimè enim testari possunt de  
Dei omniscientia, omnipotentia, omnipraesentia et libertate, iuxta  
quoniam alii plus alii minus concedere potis est, nemine impediente,  
nemineque ad rationes reddendas eum obligante. Breuiter ut  
omnia dicamus; in Deo et in attributis diuinis nihil occurrit, quod  
impedimento esse possit, quo minus miracula gratiae locum ha-  
beant.

## §. XXVI.

Et natura-  
lium.

§. XXVI.

Vix autem sufficiet, ut sciamus, aliquid ut fiat in se et per 2) respectu Deum possibile esse; sed considerandum quoque erit, num natura naturae ci-  
eptium cum eodem consistere queat. Peruestigandum igitur secun-  
dum, et in-  
do est; an *natura ciuium regni gratiae* atque *buius ipsis indoles eius*,  
modi miracula patiatur. Quod iam ad *ciues attinet*, nihil quid-  
quam comparet, quod illa respuat. Cum enim, quae ad opera-  
tiones gratiae referuntur, ad unum omnia Dei in homines opera-  
tioni debeantur: tum per ipsorum sane naturam perinde esse potest,  
sue Deus intercedentibus mediis, sue immediate cum ipsis agat;  
dummmodo libertas ipsorum salua maneat; idque in primis ideo, quia  
natura hominum ita se haberet, vi non tantum uno sed pluribus mo-  
dis dirigi queat. Per intellectum e. c. fieri potest, ut hic illumine-  
tur in negotiis ad salutem pertinentibus. Cum vero illuminatio  
eiusmodi ab operatione Dei dependeat; quid obstat, quin, qui in-  
tercedente verbo illuminatur, remoto medio externo, sufficienti  
certaque cognitione instruatur? Sed veniamus quoque ad *indolem*  
*regni gratiae ipsius!* Quam quidem si spectamus, illa in eo confi-  
fut, ut homines, fide in Christum, ad vitae finem usque durante,  
non desituti, ad salutem desperitam reducantur, salvi fiant, et  
gratiae atque gloriae aeternae particeps reddantur. Cum vero et  
præparatio, et via ad fidem perueniendi, statusque consequens  
fidei, non apud omnes eodem modo sc̄e habeant; sed admodum  
varie, in primis propter diversitatem subiectorum, in quibus aetas,  
in quam incident, anni, quos agunt, educatio, qua fruuntur, loca  
quibus degunt, duratio in statu irae vel gratiae, et hoc genus alia  
consideranda veniunt, determinari queant: facile pater, vni obser-  
uanda et obseruabilia ab alio non obseruari posse. Quo maiori  
enim quis cognitione imbutus, quo meliori educatione fruitus, quo  
ampliori occasione gauisus est, ad notitiam ordinis salutis perueni-  
di, eumque ingrediendi, quo minus temporis in statu irae perseu-  
ravit; eo facilius ordinaria media in eo locum habent, eo reclusus  
ordinaria felici cum successu amplecti potest, eo felicius, adhibita  
debita fidelitate, in bono progredi, laudabilesque progressus facere  
valet, eo grauiora quoque certamina ab ipso et ineuntur et supe-  
rantur. Haec vero longe aliter se habent cum eo, qui istis omni-  
bus

bus caret. Eiusmodi enim homo minime omnium aequi feliciter ordinariis percelli, ex conscientiae sopore excitari, corrigique potest; progressus etiam faciet, vel maxime emendatus, ordinaria tamen via vtens, multum tardiores; et denique temptationum procella ingruente, multo facilius pessimumdabitur. Si vero Deo visum fuerit, ad extraordinaria et miraculosa descendere, in quantum per Dei attributa et hominum essentiam admitti queunt: quis non viderit, immediata eiusmodi operationes illi succurriri posse, ita ut nunc idem gratiae effectus obtineantur sine legibus, quae in aliis non nisi obseruatis legibus omnibus possibilia erant.

## §. XXVII.

**Qualitas miraculorum regni gratiae generatim spectatur.**

II. Satis superque iam de possibilitate miraculorum gracie nobis prospexit credimus; agendum itaque, ad secundum principale Dissertationis nostrae momentum perueniamus, et de qualitate eorumdem quid sit statuendum, videamus; quod quidem ante omnia in genere deinde vero in specie ostendere constitutimus. Cum igitur, ut a generaliter spectata conditione eorum initium faciamus, miracula in regno gratiae vere miracula esse debeant, adeoque una cum miraculis naturae sub uno genere continentur: quilibet videt, qualitatem miraculorum gracie in genere eandem esse cum qualitate miraculorum, quae in regno naturae sunt. Nolumus autem ea, quae generatim de miraculo omni valent, hic copiose persequiri, postquam ab aliis et saepius et solide satis, pertractata sunt: sed potius sine ambagibus in nuda eorum repetitione, utpote quae nostro scopo sufficit, adquiescemus. Requiritur itaque 1) ut miraculum in regno gratiae effectus sit, a Deo immediate productus; atque ibi miraculi notionem plane exulare, vbi ostendi potest, eundem per leges regni gratiae existere. Cum vero 2) ad immediatum Dei effectum efficacissima illius voluntas sufficiat, atque sine praeterlapsu tempore compareant, quae vult: consequens est, ut miracula in gratias regno fieri debeant in instanti. Quia autem Deus nunquam non perfectionum suarum est sibi conscient, & finem ultimum in manifestatione earum positum semper sectatur: manifestum est 3) Deum non posse non agere sua natura dignissime, ita quidem, ut ex istis quoque miraculis, summa, qua pollet, perfectio cuilibet inno-

innotescat. Hinc pro sapientia sua 4) eiusmodi miracula non edit promiscue, nullo respectu habito ad diuersas circumstantias, sed potius nunquam agit sine praegnantissima ratione. Ideoque etiam 5) summa perfectio Dei non permittit, ut miracula patrentur, vbi media ordinaria sufficiunt. Leges enim et ordo gratiae a Deo ipso originem trahunt. Quamdiu itaque leges istae solae sufficiunt ad salutem hominum procurandam; tamdiu sapientia Dei miraculis gratiae locum non relinquit. Patet ex eadem ratione, 6) tunc demum immediate Deum agere posse, vbi via breuissima non aliter iri potest: alias enim tenuere ordinaria praemitteretur via et alia surrogaretur. Quo maiori enim quis praeditus est sapientia; eo magis breuitatis est studiosus in agendo. Consequitur ergo, miracula patrare tunc demum Deum, si finis regni gratiae, via ordinaria vel plane non, vel nonnisi per plures attingi posset ambages, quam si extraordinarie ageretur. Non minus etiam 7) Deus, immediate acturus, semper respicit totum nexum, atque tantum miracula edit, vbi maius bonum minori praferendum est, et vbi optimum suader, vbi summus in regno gratiae atque in toto vniuerso consensus obtineri potest, vbi finis actionum diuinarum quam optime obtineri et gloria Monarchae omnium facillime promoueri, maximumque incrementum capere potest.

§. XXVIII.

Si porro Deus essentiam hominum quam sapientissime excogitauit, quae qualis esse debeat, fierique non potest, ut alio tem-  
pore aliter eandem sibi repraesentet, vt pote quod mutabilitatem et  
imperfectionem intellectus proderet: sequitur 8) ut miracula regni  
gratiae nunquam cum hominis essentia pugnare, sed amicissime cum  
eadem conspirare debeant. At enim uero ad eam quoque pertinet  
libertas, atque a coactione immunitas: indeque patet, eiusmodi  
miracula homini vim non inferre, vt se trunci ad instar habere re-  
neatur. Denique 9) qui antecedentia mente attenta ponderauit, ac-  
que insuper memor est, gratiae leges attributis diuinis probe re-  
spondere, is haud difficulter largietur, in regno gratiae miracula  
non nimium posse cumulari, sed potius rariora esse.

## §. XXIX.

**Et speciatim.** Monstrata nunc in genere miraculorum gratiae qualitate, agendum, ad specialiorem huius rei tractationem progrediamur, et vbi locum inuenire possint, videamus. Quia autem, quae sit totius regni gratiae ratio ex solis sacris litteris discitur; nostrum iam est, vt earum vnic excludum sequamur, conditiones, sub quibus miracula in eodem praefasti queunt, qualitatemque eorum erutri. Quod si fecerimus, certiores simus de existentia eorum euademus. In regno igitur gratiae cum respiciendum sit ad salutis fundamentum, ordinem, media, et modum, quo Deus cum ciuiis agit: haec omnia perlustrabimus, locum et naturam miraculorum gratiae regni inuestigaturi. Ire autem per partes et negatiue rem proponere nobis liceat, antequam positivie quid decernamus, quod quidem ita fiet, vt 1) obiectum, 2) personas, 3) tempus consideremus, vbi exuale videntur gratiae miracula.

## §. XXX.

**In fundamen-** N) Ratione igitur *objetti* 1) in fundamento fidei reali, Christum puto, non dari miraculum merito statuimus, ita vt sine eodem salvare possint homines. Si enim respectu fundamenti miraculum possibile esset: sequeretur, vel reatum tolli posse absque omnifaciacione; vel tolli saltim posse faciatione, alio quodam modo, ac quicdem in S.S. delineatus est, praeflita. Illud plane falsum esse, ex sanctitate, iustitiaque divina iam dudum demonstrarunt Theologi. Hoc autem, ut pluribus placuit, admitti non debere, facillime ostendi poterit. Cum enim, quod ceu alibi demonstratum hic supponimus, ad Deum placandum  $\lambda\pi\eta\varphi\sigma$  infinitum requiratur Ps. XLIX, 8. 9. Ebr. VII, 26. 27. illudque a nullo ente finito, sed a Deo cum  $\pi\alpha\vartheta\eta\varphi\omega$  vnto, praefarsi potuerit; praeter Dei filium vero humana natura vltimum nemo inter dignas personas inueniatur, qui de auferendis hominum reatu ac poena promerita sollicitus fuerit: consequens omnino est, vt in eo solo adquiescendum, ab eo omnis salus speranda, de nullo alio faciationis modo, felicitatisque fundamento cogitandum sit. Cui accedit, quod maius non potuerit pro salute hominum restauranda facere Deus, quam vt filium suum mitteret vngenitum, qui  $\lambda\pi\eta\varphi\sigma$  illud solueret, hominesque reconciliaret

ciliaret Ioh. III, 16. Quod si vero alias modus possibilis fuisset, per quod idem obtineri potuisset: tunc sine filium unigenitum pro sapientia summa datus non fuisset, neque fecisset maius ubi sufficere poterat minus. Hinc patet redēptionem per Christum factam adeo necessariam esse, ut nulla ratione gratiam sperare aut remissionem peccatorum exspectare quis queat sine Christo. Id quod etiam expressis verbis S. Script. confirmat Act. IV, 12. XV, 11. X, 43. Ebr. VI, 6. X, 26. Ioh. XIV, 6.

§. XXXI.

Misso salutis fundamento, progressuri 2) ad eius ordinem, negamus 2) quemquam per miraculum salutis per ipsum partae participationem reddi posse, nisi fide in ipsum gaudeat. Ioh. III, 16. XVII, 3. Marc. XVI, 16. Rom. I, 17. Ebr. XI. Ier. V, 3. Et profecto qui fieri posset, ut vi meriti Christi peccatorum consequeremur remissionem, aeternumque saluaremur, nisi in illud nobis imputandum consentiremus inque eo omnem poneremus fiduciam? Beneficia non obtruduntur, sed illa contempnens, iisdem plane privatur, et propria ex culpa carere solet. Quae in contrarium adferri solent magni non sunt momenti, hinc longo agmine ea adducere nolumus.

§. XXXII.

Porro etiam 3) cum fides ista Christum, tanquam redemptorem et liberatorem a culpa et poena peccati, amplectatur, hoc vero regeneratione fine agnitione contracti reatus, sine odio eius, sine agnita adiutoria ne. sibi ipsi consulendi, sine agnita necessitate ad Christum configiendi, sine proposito meliora amplectendi, fieri nequeat; quae omnia mensura immutationem seu conversionem et regenerationem absoluunt, in qua quippe fides proprie generatur: nemo non videt, his postis plane necessarium esse, ut futurus regni gratiae cuius conuertatur seu regeneretur. Vnde quoque patet, nullum dari posse miraculum, ut quis, omissa regeneratione fidem in Christum accipiat.

§. XXXIII.

Priusquam mentis mutationem relinquimus, aliud quoddam Conuersio- cum ea maxime cognatum argumentum tangemus. 3) Conuersio- non fit in in- ait scilicet negotium in hominibus non nisi successivum est, nequa- stanti.

quam vero instantaneum. Intelligitur haec propositio ex plurimi partium, ad conuersionem requisitarum, enumeratione (§ XXXII.) atque eo minus opus est, ut eandem latius diducamus, postquam otia nobis fecit s. v. PRAESES in *Theol. Morali* §. 68. seqq. nec non in Diff. sub EIVS moderamine ventilata, *de conuersione non instantanea.* Quae cum ita sint, si quis in mentem hic sibi venire patitur, nos minime negare posse conuersionem instantaneam esse, postquam supra adserimus, totum gratiae regnum miraculis adnumerari debere, quae vero ad unum omnia in instanti fierent: tum respondemus, distinguendas esse duas in praesenti negotio quaestiones, quarum altera est, *vtrum singulae conuersionis partes, vt ut ordine et tempore sibi inuicem succedentes, in instanti a Deo producantur? altera vero; vtrum totum conuersionis negotium, singulaeque eius partes, in instanti, simul, non successive a Deo generentur?* Illam sicuti concedimus, vtpote quae successuum partium existentiam admittit; ita hanc iure negamus. Qui enim probe perpendit, partim, inesse conuertendo prauum habitum, creiboribus actionibus malis adquisitum; partim eiusmodi habitum nonnisi successiue infirmari debellarique posse; quemadmodum bonus habitus, in ipso producendus, non minus successiue promoueri potest: is pedibus in nostram sententiam ire non dubitat. Dici vix potest, quam ferax militaris conclusionum hoc sit principium, quam multi in illud misere impingant, suaq[ue] salutis iauram facientes, quam saepius hominam agendi ratio ex eo diiudicari queat, et quam nefarium sit, vt illud a quo quis animarum pastore sedulo inculceretur. Vera quidem, imo per maximam, quae in Deo est, promptitudinem peccatores in gratiam recipiendi, verissima est D. AVGUSTINI sententia, qua adseruit, *poenitentiam seriam nunquam esse seram;* interim videndum modo, ne ita sera fiat, vt vix ultimum vitae habilem trahere possis; videndum etiam, ne ita peccatis adfuesias, vt vix emendationem euan aspirare velis. Tunc vero ad misericordiam Dei immensam, miraculosamque conuertendi rationem con fugere velle, idem perinde esset, ac aquam ex pumice eliceret atque per naturam impossibilia a sapientissimo Deo expectare.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Ex ipsis prolatis simul intelligi poterit, quid sit statuendum de poenitentia et conuersationis negotio in agonizantibus, sive etiam in malitiosis delinquentibus, saepius ad extremum ferme halitum facienda prava negantibus, in ultimo autem virae articulo adhuc, cum veniam se non imperaturos vident, fatentibus. Si enim in instanti nemo conuertitur, sed ad exundum prauum habitum atque ad induendum nouum temporis spatio opus est: oppido patet, ad vitam finem vique reseruatam poenitentiam et conuersionem, nisi absolute, attamen moraliter impossibilem esse. Quo plus enim temporis dominium peccati quis sustinuit, quo magis operationibus gratiae restitut; eo difficilis certe redditur in eo conuersationis negotium. Si enim homo peccandi habitum per totam vitam suam, sibi contraxit, ita ut non sine ingenti voluptate peccata huc usque patrauerit, et leges diuinis detestatus sit: num sperari potest, eundem in instanti serio atque reuera peccata odio habiturum, Deumque non infuscate dilecturum esse, et quidem eo temporis articulo, ubi timor propinquae mortis, ubi dolores et alia, conscientiam sui ferme adimere, sollicitam meditationem de vita huc usque acta impedire et facultates animae omnes nube quasi obducere solent. Non ignoramus quidem, plures prouocare ad Davidis, publicani, latronis, aliorumque exempla, in quibus sibi animaduertisse videntur conuersationem plane instantaneam. Sed falluntur boni viri, post exempla latitantes, quae illud ipsum defrauent, quod aedificare student. Ea ipsa enim luculenter, si penitus inspiciantur, confirmant, conuersationis negotium non esse instantaneum, sed successiuum. Quod enim ad latronem, in cruce pendente, attinet, frustra sumitur, eundem in instanti conuersum fuisse; cum potius iam ante, carceri mancipatus, de peccatis suis cogitasse, iustitiam poenae, qua fuit adfectus agnouisse, et sic pudendum facinus detestatum fuisse, putandus sit. A vero non abhorret, eundem per tempus quoddam carceri inclusum fuisse, usque dum occasio magis commoda adestet eum suppicio adisciendi. Verba enim eius, quae tum cum delicti socio, tum cum Christo, milcuit, testantur de homine vitam male actam agnoscente et abominante, peccati in uniuersum omnis odio flagrante, nouisque propositum alente. Hinc meditatur salutem suam,

Quid de poenitentia ad ultimum vi-  
tae articulum  
reservata sit  
statuendum.

suam, reprehendit socium, loquitur de Christo, de innocentia eius forte plene est conuictus. Omnia ista persuadent, eum non omni de Christo cognitione destitutum sed potius conuictum fuisse, illum saluatorem mundi promissum esse, simul vero, initium conversionis sua non demum in cruce sed iam antea in carcere mediante Sp. S. operatione praeueniente eueniisse. Idque eo facilius admittit potest, si ponderamus, eum, de infelici vita exitu in carcere iam persuasum, sibi in memoriam reuocasse, que forte ab ipso Christo et de Christo, liber cum adhuc esset, et audiuerat et viderat. Quamuis igitur olim ea omnia susque deque habuisset; nunc tamen sub praeueniente et præparante Spiritus S. gratia longe alter iisdem vtebatur, præstantiam verborum Christi, vitam aeternam quippe spirantium Ioh. VI, 68. ac ipsius Christi animaduertens. Cum igitur ita præparatus inque conversionis limine constitutus, ultimo supplicio traderetur, Christique glorioſiſimam moriendo rationem obſpiciat: quidni, efficaciter operante, et, quod incepérat, perficiente Spiritu S., ad plenariam conversionem atque fidem in saluatorem peruenire potuifset? Quod ad poenitentis publicani exemplum attinet, nec illud contra nos est: nuspiam enim dicitur, eundem in templo demum conuersum fuisse; sed eorum tantummodo, quae iam antea in animo eius peracta erant, luculenta testimonia suppeditantur. Ipse aditus ad templum, ipsi mores externi, locus remotor, quem occupauit, peitoris percussio, timorisque coram Deo declaratio, ita ut non auderet oculos leuare versus coelum, testantur, plura iamiam in mente eius agitata fuisse, antequam templum adscenderet. Denique quod ad Dauidem restauratum pertinet, iure meritoque negamus, ipsius conversionem sola verborum recitatione, *se peccasse*, peractam esse. Qui saltē Psalmum LI. perlegit, quem hac occasione compositum, calculos longe alter subducet. Conferri possunt Excellent. STIEBRITZII vermischtē Abhandlungen p. 291. seqq. IAC. BERNARD Tract. von der späten Buſſe.

## §. XXXV.

Dari conuersionem subi-  
raneam con-  
ceditur.

Quamvis vero hoc usque negauerimus, conuersionis opus a Deo in instanti effici; haud difficulter tamen *subitanum aliquid in eo aliquando agnoscimus*. Ut vero de mente nostra eo vberius con-

constare queat; tenendum, nos *subitanum* in natura corporea vocare, quod intra breuissimum ac vix nobis obseruabile tempus perficitur. Vid. Perill. WOLFFII *Metaph. germ.* §. 689. 692. Nobis, qui ex sensu iudicare plerumque solemus, videtur quidem, eventum eiusmodi in instanti productum esse: sed erramus tamen, quia breuissimum tempusculum, intra quod aliquid executioni datur, non minus tempus aliquod constitue, in quo praefens a praeterito atque utrumque a futuro distinguere potest; vbi e contrario in instanti vere tali nihil discernendum occurrit. Inde autem consequitur, vt, quamvis instantaneum simul sit miraculatum, subitanum tamen miraculi nomine non veniat. Quae si ad regnum gratiae transferimus, fieri potest, vt audita prædicatione verbi diuini aliquis quam vehementissime perculsus, uno tempore sibi ingentem, quem hoc usque contraxit, reatum repræsentet, peccatorum summam foeditatem agnoscat, pluribus motuis ad ea detestanda per praefens cum praeterito imprægnatum imbuatur, poenarum promeritarum gravitatem intueatur, peccatorumque Deo maxime suppplex factus veniam exoret. At enim uero, quia, intercedente Sp. S. operatione, in homine malitiose non repugnante, intra breuissimum tempusculum infinitus pene representationum de peccatorum multitudine, vicio, poenis etc. concurrens numerus; nec non ingens motiuorum ad peccata abominanda, veniam a Deo exorandam et meliorem vitam restaurandam oritur cohors: exsurgit hic aliquid subitanei; et quia conuersio actu in homine Sp. S. duclui permisso simul perficitur, habes conuersionem subito factam; quae tamen non instantanea vocari debet, quia tempusculum faltem aliquod praeterlapsum est, intra quod, quae ad ipsum pertinebant, peragebantur. Nec desunt exempla, quibus haec confirmare possumus. Proutocamus ad auditores Petri Act. II, 37. seqq. qui audientes huius sermones compuncti sunt corde, vt quid faciendum esset, sollicite indagarent. Cum vox καγενοστει de fodiacione, punctione et vellicatione, cultro, telo aut clavo facta, adhibeatur: verba Petri fistuntur telorum aut clavorum ad instar penetrantium usque ad interiora Cohel. XII, ii. Hoc vero inferat, eos illico ad profundam status sui damnabilis cognitionem, et feriam propreterea poenitentiam descendisse, (conf. Gen. XXXIV, 7. in LXX.) gratiae praeuenienti et præparanti hoc

D

ipso

ipso locum relinquentes. Hinc pleni de salute sua curarum, nouoque a Sp. S. proposito armati, quaerunt; quid sibi faciendum sit, ut aliam vitam induerent? iisque ex Petro perceptis, libenter v. 41. diuersis morem gerentes baptisimi lauacro adscipientur, Christique adseclae sunt. Hos multis ad salutem spectantibus representationibus, motiuisque ex iisdem enatis, brevissimum intra tempus, non tamen in instanti donatis fuisse; nemo, qui textum attenta mente legit, eaque omnia uno die ab hora nona matutina peracta fuisse perpendit, dubitabit. Iure hoc etiam vocantur Zachaei Luc. XIX. Lydiae, nec non commentariensis Philippensem Act. XVI. exempla, quae iam fusi persequi nolumus. Patet igitur per experientiam, alios modo per longius temporis spatium in lucta poenitentiae versari, modo autem citius eluctari; quod tum ab homine, eiusque statu antegresso, nec non a fidelitate erga operationes Sp. S. in conuersione processu praestita; tum a sapientissima Dei oeconomia, finibusque in regno gratiae obtinendis penderet.

## §. XXXVI.

*Nequis etiam sine sanctitatis studio per miraculum aliquis saluatur.*

Sed pergitus d) ad *sancitatis studium*, descendentes, neminem, ne per miraculum quidem, sine eo, saltem sine eius initio, atque exterminatione mali propositi, Deum videre atque saluari posse. Quemadmodum enim in conuersione tota mens hominis immutatur et emendatur, et dominans versus Deum propensio producitur: sic in sanctificatione haec emendatio continuatur, imo per eam discitur, hominem reuera mutatum esse. Cum vero sine illa nullus salutem consequi possit; aequo necessariam esse continuationem illius ac initium, quis negabii? Conuersio requirit habitum, habitus autem non nisi haud interrupto exercitio conseruari potest; deficiente enim exercitio, deficit habitus, et tandem plane cessat. Iam vero in sanctitatis studio habitus ille actionum legitimarum conseruatur, augetur atque promouetur: hinc nullus aeternae felicitatis participes fieri potest, nisi sanctimoniam testetur, et quotidie renouationi det operam 1 Thess. IV, 3. Tit. I, 14. Notauerit autem diximus, requiri saltem, ut *sancitatis initium atque exterminatio mali propositi* adsit, si Deum videre et ad eius fruictionem aeternam pertingere quis voluerit. Haec in gratiam eorum adipisciimus, qui ante discessum ex hac

hac vita, lethali morbo adfecti, Deo dante, ad veram mentis mutationem perducuntur. Quamvis enim eiusmodi homines ea felicitate non fruantur, ut fidei fructus per longiores annos ferre in hac vita queant; sufficit tamen Deo, quod intelligat, hos, diutius vividos, vi ediri, quo flagrant erga peccatum omne, et vi validae ad omne bonum propensionis in crucifigenda carne futuros strenuos, atque in obseruandis praeceptis diuinis maxime solerter. Ut ut ergo ipsis desint vires et occasio mentis exsequendi destinata; laudatur tamen a Deo voluntas, quae post corporis fata in coeptis pergere potest.

## §. XXXVII.

Postquam de *objeto* satis pro scopo nostro egimus, *¶ perso-*  
*nas* consideremus, ostensuri, in quibus miracula gratiae locum non  
*habent*. Et quidem ex iis, quae de immutabilitate fundamenti or-  
*dinisque salutis* (§. XXX. feqq.) disputauimus, determinari etiam  
*poteſt*, vtrum peccator in Spiritum S. per miraculum regni gratiae  
*conuerſi* queat? Quod quidem merito negamus. Is enim pecca-  
*tum* in Spiritum S. committere dicitur, qui operationes eiusdem  
*circa* fundamentum et ordinem salutis occupatas, pertinaciter con-  
*temnit*, et morose oppugnat, ex mera voluntatis peruersae malitia,  
*licet* rectiora edocet, veritatem luce meridiana clariorē cernat,  
*et ipse* salutares istas operationes experitus sit. Math. XII, 32. Ebr.  
VI, 4. 6. X, 26. Quemadmodum enim illiusmodi homines iam gra-  
*uissime* peccant, quod veritatem agnitus iterum deserant, atque  
*ex* gratiae statu plerique relabuntur: ita grauius adhuc peccant, con-  
*tra* conscientiam agentes, dum totum arque unicum salutis funda-  
*mentum*, Christum, reiciunt, eum pro seductore et iuste punito  
*habentes*. Hac enim ratione omni spe ad salutem semetiplos pri-  
*uant*, siquidem extra Christum et sine illo nemo remissionem pec-  
*catorum* impetrare, nemo iustificari, nemo saluari potest. Sic  
*etiam* totum, quem constituit Deus, salutis ordinem respūnt, eum  
*phantasticis* adnumerantes ingredi nolunt, sed pertinaciter reiciunt,  
*gratiae* atque spiritus operationes pro diabolicis habentes, finaliter  
*imponitentes* manent. Quaenam quaefo operationes Dei suffi-  
*cient*, ad homines illos restaurandos, et ad meliora reducendos?  
*Nisi* itaque dicere velles, Deum aut in eorum commodum aliud sa-

Peccatores in  
Sp. S. per mi-  
raculum, non  
conuerti pos-  
se demonstra-  
tur.

luris fundamentum constituturum, aliumque salutis ordinem stabili-  
turum; aut voluntatem eorum vi corrigerre, eosque, licet morosissi-  
me nolint, licet semper repugnant, licet fundamentum omnis salu-  
tis contemnant relictantque, cogere posse, ut conuertantur; quod  
vero attributis et perfectionibus diuinis, et naturae ipsorum homi-  
num, quam maxime contrarium est: obuium est, non dari posse in  
iis miracula gratiae.

## §. XXXVIII.

*N*eque isti  
apud quos ef-  
fectum non  
habitura es-  
te.

Non minus etiam exulant in iis miracula regni gratiae, apud  
quos ex praeuisione Dei, nullum plane habitura esse effectum;  
vel habitura quidem, ita tamen, ut conuersi sanctificaque, statim  
aut tandem finaliter ad priora essent redituri (§. XX.). Quod si  
enim Deus miracula nec ibi multiplicat, vbi certo effectum se con-  
sequuntur esse vider, et vbi ordinaria sufficere possunt, ab iis  
plane abstinet: quanto magis nulla parabit, si praeuides, nihil un-  
quam iisdem effectum iri, aut per tempus quidem conuerti aliquem  
posse, sed mox rechora, quae amplexus iam fuit, deferturum.  
Hoc enim si fieret, aur aliquid sine ratione sufficiente, ex mero ar-  
bitrio committere posse, aut non infinito intellectu gaudere, et fu-  
tura ex liberis animas humanae decretis prouenientia ignorare di-  
cendus esset Deus: quod vt,umque summae eiusdem perfectioni re-  
pugnat. Bonitas potius diuina postulat, ut culpam et reatum ho-  
minum istorum fortioribus atque magis insolitis gratiae operationis  
bus non adaugeat; et mala ab ipsis sustinenda multiplicet.

## §. XXXIX.

*In vita futura  
non datur mi-  
raculum gra-  
tiae.*

Restat ut 3) paucula de tempore dicamus, quod a miraculis  
gratiae vacuum est. In vita scilicet futura non datur miraculum  
gratiae, quo poenis infernalibus addisti conuertantur, ad vitam beat-  
tam aliquando transferendi. Licet enim concederemus, conuer-  
sionem damnatorum per miracula esse possibilem: facile tamen ostend-  
di posset, Deum eadem non esse patraturum. Sed vix ac ne vix  
quidem iniuste defendemus, talia miracula penitus esse impossibilia.  
Necesse enim esset, ut a Deo patrarentur, damnatis vel poena ad-  
huc adfici, vel ab eadem iam remorisi. Si illud locum habere  
adfir-

adfirmare quis vellat; tunc sane aliquid cogitaret, quod, supra vires humanas possum, nullo modo defendi potest. Poenitentia enim sub sensu grauissimarum poenarum extorta, minime genuinae atque verae in dolis esse solet, adeoque nec Deo placebit. Deinde etiam, cum damnati partim continuis, partim grauissimis adficiantur poenis; qui fieri potest, ut doloribus, cruciatus non intermissis obruti, ut adficiibus quamplurimis, iisque molestissimis vexati, ad meliorem redeant frugem, saniora principia amplectantur, atque sic demum conuertantur. Si hoc adiun gere quis vellat; miracula patrari debere eo tempore, quo poena a damnatis remota fuit; tum sane adfirmaret aliquid, quod ratione sufficiente defituitur. Poenae enim infernales hoc in casu efflare deberent sine villa satisfactione, adeoque sine villa ratione sufficientes. Nec enim propria adest satisfactio, quoniam ipsorum peccata poenas istas postulant; neque aliena locum haber, quoniam fides in Christum deest, per quem vnice a culpa et deinde etiam a poena peccati liberamur. Quod si vero etiam vtrumque pateretur status damnatorum, ut per miraculum conuerteri possent; facile tamen patebit, illos non aliter ad conuersationem perducunt iri, quam si Deus vi in eisdem agere, atque truncorum stipitumque ad instar eisdem tractaret: quod vero plane absurdum. Vid. Celeberr. STIEBRITZ Tract. von der Ewigkeit der Hoellen-Strafen.

§. XL.

Hicce nunc negatiue petratis, posse iam ut dicamus, que de qualitate ipsorum dicenda restant, necesse est. Rem ita que penitus considerantes, facile inueniemus I) dari posse miracula in mediis ad fundamentum fidei, Christum, et hinc ad salutis ordinem perueniendi. Licet enim fundamentum ordoque salutis in attributis diuinis vnice fundata reperiatur, et ita sint comparata, ut sane omnium hominum, cuiuscunque sint conditionis et status in doli respondant: idem tamen praedicari nequit de mediis eo perueniendi. Deus quidem et haec ita ordinavit et constituit, ut quam fieri potest, maxime vniuersalia sint atque plurimis hominibus sufficientia: interim tamen proper miseriam et calamitatem, a lapsu generis humani profectam, omnium conditioni atque statui-

Dantur N<sup>o</sup>)  
miracula in  
mediis ad  
Christum et  
salutis ordi-  
nem perue-  
niendi,

non conuenient, et hinc extraordinarii quid ut fieri queat, necesse est. Ea enim non solum oblationem hominibus factam supponunt, sed etiam possibilatem viss, seu quasdam vires subiectum physicas, tum morales postulant, quoniam ad impossibilia nemo obligari potest. Cum vero haec duo in nonnullis ino plurimis deficiant, adeoque illa media vniuersalitatem obiectiuam seu sufficientiam quidem habeant in se, non vero vniuersalitatem subiectivam: consequens est, ut detur eorum particularitas subiectiva, seu defectus et insufficientia subiectiva; et hinc locus relinquatur miraculis gratiae.

SCHOL. Quilibet primo statim intuitu intelligit, hanc insufficientiam mediorum subiectuum Deo fraudi non esse, nec eidem virtus posse. Hanc enim qui Dec exprobare vellet, is sane non sat perpendere, quid humana natura finita ferat, quae gradatim tantum et lente viribus ad hoc negotium necessariis rationisque viss potitur. Postularer is etiam ut calamitas, cui per lapsum obnoxii facti sunt omnes, per mera miracula eaque infinita et reuera impossibilia tolleretur, ut omnes vires vel physicas vel morales sufficientes haberent, ut omnes ratione scirent vti, bona educatione fuerentur et occasione gaudenter vires ingenii sui excelendi. Quod hoc loco docuimus, ipsa Script. S. ediscit, cuius oracula singulis in locis, quando ad specialiora perueniemus, adducere licebit.

### §. XLI.

Media haec  
duplicis sunt  
generis.

Media vero quod attinet, duplices eadem sunt generis: vel enim paedagogica et remotiora; vel etiam proprie sic dicta salutis media, sive propiora esse eadem deprehendemus. Illa, scilicet paedagogica, eadem sunt cum iis, quae alias nomine mediorum vocationis venditantur; et consistunt in omnibus illis variisque subiectis, quibus Deus vtitur, ad praeparandos, inuitandos et excitandos homines, ut ad meliora redeant. Pertinent huc, ipsum dictamen et lumen rationis; varia beneficia a supremo Numine in nos collata, extraordinaria inprimis, et non exspectata; boni eventus ex actionibus moraliter bonis in nos et alios deriuati, poenae naturales atque arbitrarie, legum transgressoribus immiscae; officium Sp. S. elemcticum in omniibus singulique viss rationis capacibus administratum; doctrinae morales rationi conuenientes, ab hominibus solo rationis lumine viss, profectae etc. Quae omnia tam longe latentque

teque patent, vt inter ipsas gentes Deus non suerit se esse *avavacē*.  
Iuge. Hisce omnibus accedit fama reuelationis forsitan accepta; et, si Christianos spectet, ipsa praedicatio verbi diuini, eius lecio, recordatio, meditatio atque ab aliis instituta explicatio. Rom. X, 14. I, 20. II, 14. 15. Hof. II, 8. Vid. s. v. PRAESIDIS Diff. de Vocatione Dei ad salutem, variis eius gradibus et graduum rationibus.

§. XLII.

N) Media haec paedagogica optima sane esse et sufficientissima, si in se spectentur, ad finem exoptatissimum obtinendum, nulli dubitabimus. At enim uero  $\alpha)$  si *infantes* mente contempleris, viu debis, ea omnia in ipsorum usum transferri non posse, quoniam viu rationis, ad haec plane necessario, sunt destituti. Qua ratione autem fieri potest, vt Deum videant, in eodem luto, quo reliqui homines, haerentes, peccatis contaminati, adeoque Deo minime placentes, nisi emendentur, et fide in Christum polleant. Quandoquidem vires illorum non sufficiunt, ad media gratiae ordinaria amplectenda, sequitur, vt, nisi alia emendationis via refret, et alia suppeditent media, quorum capaces esse queunt, non possint non aeternum esse infelices. Num forsitan dicere licebit, Deum, qui tamen minima curat, de iis, quousque infantes sunt, plane non esse sollicitum eorumque salutem minime adipetere? Hoc sane sine omni ratione sufficiente adsumeretur; cum potius per amorem Dei et misericordiam plane contrarium sperari ac exspectari possit. Et quid, quae*o* te, fiet, si plurimi inter gentiles, vrpote de quibus media paedagogica potissimum valent, ex hac vita excedunt, antequam ad usum rationis perueniunt? Forsitan pronunciare lubet cum b. EVDDEO aliisque, eos damnationi quidem obnoxios futuros, sed in tolerabiliori statu substitutos, proper reatum connatum. At vero innumeris relinquis locum difficultatibus, nunquam certe soluendis. Cur enim medicinam plane vniuersalem parari per Christum curauit Deus, si inumeri homines eadem ex mero Dei arbitrio carere debent? cur plurimi extingui patitur Deus, antequam de medicina, antequam de eius viu et via ad eandem aliquid norunt? nonne tandem bonitati eius et iustitiae, hac si progredi lubet via, aduersi quid statuendum erit? quidnam meriti, prae gentilium infan-

1) Sine mediis pae-  
dagogicorum  
vnu  $\omega)$  infan-  
tes gentilium  
saluari posse  
docetur.

tibus, habent tum christianorum infantes, quibus per baptismum statim adPLICatur salus per Christum parta : tum adultiores omnes, quibus mediorum istorum indulgerur usus ? Sane nihil aliud, quam quod sub alia coeli plaga, aliis in locis, aliis a parentibus nati sint. A parentibus vera religione imbutis autem eorumque statu felici ad infantes nulla valet consequentia. Quot vero deprehendes infantes a parentibus piis et christianis veri nominis natos ? nonne plurimi ipsorum eiusmodi vitam vivunt, ut ab ipsis gentilibus honestati redditis nimium quantum supererunt; et tamen beatos ipsorum liberos pronuntiare nullus dubitas ? Breuiter: cum in hominis nasciturum protestate sitrum non sit, quibusnam a parentibus generari velit ; minime omnium inde vel aliquid meritum vel demeriti duci potest. Scio, quosdam ad Paulum recurrere i Cor. VII, 14, adferentes, *christianorum liberos esse sanctos*. Sed respondeo cum grauissimis theologiis, heic minime de sanctitate interna, sed externa tantum, sermonem esse; mihiique Vir Cl. ANDR. GE. WAEHNERVS de sanctificatis per coniuges conjugibus rem acu tergitissile videtur, qui ex rabbinicis docuit, *sanclos h. i. nonnisi legitimos ex legitimo matrimonio natos, spuriis oppositos designare*. Instas forsitan, Deum praetudisse, infantes hos gentilium, si vel maxime adolescenter, meliora tamen non esse adprehensuros. Sed si aliquid sumere non probare licebit; tum omnis cadet rei veritas. Id ipsum fane adhuc in quaestione est; eodem certe iure et nos adfirmare possemus, multos ex istis rectiora amplexuros fuisse, si ad usum rationis pleniorum peruenissent : quis haec negare audebit ? Largi vero simus, ponamus id ipsum Deum praetudisse ; num praeuisam, nondum vero ad executionem deductam aeternis punit cruciatis malitiam ? Si poena actu irroganda actu commissum supponit delictum ; quanto magis poenae infernales actualem non vero possibilem tantum inferent reatum. Si hoc a Deo fieri posse nobis persuaderemus, quis de sua salute vñquam securus esset ? Ponas enim, hominem quam maxime nunc in gratias statu versantem ex vita hac discedere ; ponas item, Deum praetudisse, eundem hominem, si per longius adhuc temporis intervallum incola huius terrae manuisset, mox relapsurum atque peruersam viuendi rationem initurum esse : num Deus peccata eius praevisa eodem modo punier, quam si actu patrata essent ? Nam

nam profecto rei vanae in Dei praeuisione quaeris latebram. Accedit, Deum non minus praeuidisse, plures adulteros aequre spreturos esse occasionses bonas sibi oblatas, et nihil tamen minus eosdem vita non priuasle. Cur non eodem modo illos, vni infantes, sub initium vitae statim interemit; cur non ampliores illas mundi regiones incolis suis priuauit; cur eosdem produxit?

§. XLIII.

Nil igitur restat, quam ut statuimus, Deum alio plane modo, qui ordinarius non est, sed extraordinarius et miraculosus, eiusmodi miseris succurrere. Aperire hac de re mentem nostram paulo accuratius licet. Meritum a Christo partum plane est infinitum, et hinc sufficientissimum ad omnem reatum tum connatum tum adquisitum tollendum. Quam primum haec perpendimus, et de amore ac misericordia Dei infinita persuasi sumus; non possumus non securi esse, idem quoque meritum esse vniuersale, omnibus singulisque paratum ac destinatum, dummodo patiantur illud ipsis adiplicari et morose non repugnant. Ioh. II, 2. Rom. VIII, 32. 1 Tim. II, 6. Quoniam vero homines adeo sunt corrupti, ut ipsimet nec boni quid facere nec cogitare possint; ipsa Dei et speciatim Sp. S., cui approprietate hoc tribuitur negotium, operatione opus est, ut meritum illud Christi hominibus adiplicetur per fidem. Cum vero meritum hoc sit vniuersale, haec operatio Sp. S. non minus vniuersalis esse, et fides in omnibus, qui non resistunt, produci debet. Nam cum parvuli nihil distincte sibi representare, et adeo nihil maliciose adiptere queant aut auersari; nulla illis peccata voluntaria esse tribuenda sole meridianu clariss est. Si vero hoc; in nullo ipsorum adeste morosam resistantiam aduersus operationes Spiritus S. adeoque nullam rationem sufficientem, cur non actu meritum Christi ipsis adiplicari possit, quis non videt? Si vero meritum Christi ipsis adiplicatur, tum vi illius de vita decedentes saluantur.

Vt pote qui-  
bus meritum  
Christi adpli-  
catur imme-  
diata.

§. XLIV.

Vix ac ne vix quidem tibi in mentem veniet, ut objicias, in- Obiectio re-  
esse tamen tenellis istis per reatum connatum repugnantiam natura- mouetur.  
lem, seu auersionem ab omni bono et propensionem ad emne ma-

lum. Fateor : sed quid exinde sequetur ? quis vñquam creditit, eandem impedire Sp. S. operationes ? Sic enim adserendum foret omnino, neminem neque adulorum Sp. S. operationibus locum relinquere et conuerti posse. Quid quod ? quis adeo est ignarus, cui non ex primis theologiae lineis constet, repugnantiam hanc naturalem per totam vitam funditus extirpari non posse, sed tantum debilitari ? Hoc enim nisi esset, perfec̄tis jamiam adnumerandi essemus et relapsus nullo modo fieri posset vñquam. Quisnam de cetero sit Spir. S. in infantibus ad salutem operandi modus ; infra suo loco exponetur. Conf. S. V. MOSHEMII diff. de salute infantum christianorum aequae ac paganorum etc.

## §. XLV.

**¶**) adulti stupidiores inter gentes. Ab infantibus p̄ergere nobis liceat **β)** ad **adultos**, vt videamus, num et istis sine vñ mediorum remotiorum meritum Christi applicari possit. Iste vero sunt vel **i)** homines a' natura stupidiiores, inter gentes maxime barbaras, ab oris Christianorum longissime remotas, nati, misera educatione vrentes, parum aut nihil veri de via ad Deum perueniendi, multum vero falsi percipientes, adeoque quae vera sunt quae falsa ad perspiciendum prouersus inepti, du-rissimo insuper fertutis ingo, quod ad cogitandum nihil omnino temporis relinquunt, subiecti et in eiusmodi misera conditione vitam cum morte commutantes. Hi vel deprehendentur simul insigniter mali atque dolosi; vel minus, et non nisi ex ignorantia atque superflitione peccantes. Sicuti cum illis nihil nobis est negotii; ita hi accusatiorem nostram merentur considerationem. Quod si igitur animi ipsorum status spectetur; parum sane aut nihil ab infantibus, ratio-nis vñ carentibus differre videntur, adeoque eadem fere dicenda recurrent, quae supra commemorata sunt. Quia scilicet ordinaria via ad fidem in Christum non perducuntur: vel sine vñteriori respe-cu aeternum damnabuntur omnes, vel in tartarum praecipitabun-tur, quoniam Deus eos non credituros praeuidit, quamvis rectiora edocerentur; vel extraordinario modo meriti Christi redditur participes. Prius si adsumere luet : tum sane iniurii esse videbi-mur in misericordiam Dei ei amorem plane vniuersalem, qui nemini infelicem reddit. Alteram si sententiam amplecti mauis, tum sane

Sane adseris aliquid, quod nunquam probatum dare poteris. Maiori forsitan iure contrarium adserimamus (§. XLII.). Nil igitur refiat, quam, ut, quod tertio loco adduximus, pro vero certoque habeamus atque statuamus, eosdem extraordinarie meriti Christi participes reddi posse. Cum enim morose non repugnant; quid impedit, quo minus fides in Christum, utpote quae semper est miraculum, licet quam maxime omnia ordine procedant, in illis prudetur, et sic saluentur. Hinc patet, etiam in adultis, si qui dantur ita circumscripti atque exigua rationis luce recte vti, miracula gratiae obtinere posse.

## §. XLVI.

2) Alterum genus adulorum eos complectitur, qui felicioris sunt ingenii homines, ad culturam intellectus ope educationis intelligentius, praecipris veri bonique sufficienter imbuti, vitam honestam, integrum, seculisque puram viventes, et quantum ex actionibus iudicare licet externis, legi naturae conuenienter agentes, proque boni, quo possunt, studio meliora amplexuri, si quidem eorum copia ipsi daretur. Quis animo suo persuadere poterit, Deum cum perducere possint?

ram eiusmodi hominum abiectionum esse? Statuendum potius est, Deum illis occasionem aut ordinario, aut extraordinario modo, procuraturum esse, ad usum propiorum mediorum perueniendi, eos vel intercedente commercio cum Christianis, qui aut inter ipsis aliquando versantur, aut ad quos prouidente Numinе ipsi perueniunt, vel etiam aliis modis ad lucem euangelii perducendo. Ordinario quomodo id fieri potuerit, diuina dirigente prouidentia, vix ut indicemus opus esse videtur. Iure vero hoc trahimus 1) peregrinationes illustrium personarum et in primis vetustissimorum Philosophorum, ex sapientiae studio vel alius ex causis suscepimus, sicuti ad alias gentes, ita etiam ad Iudeos, qui sane non exigua nomini fama olim florebant. Ex S. Script. nota est Regina Sabaeorum, quae fama de Salomone tanto regé, sapientia quam maxima praedito, audita, iter in longius disjunctas terras instituit; hoc quidem animo, ut non solum gloriam Salomonis contemplandi, sed potius aenigmatibus propositis num vera sit tanta sapientiae fama num ficta, explorandi copiam haberet. Locum quoque hic sibi vindicat Naeman Syrus, lepra adfecitus, 2 Reg. V. Non minus exemplorum

loco esse possunt Plato et Pythagoras aliquae Graeciae sapientes, a  
 quibus peregrinationes in Aegyptum et remotiora alia terrarum loca,  
 in primis ad Iudeos, instituae fuerunt. Quis vero negabit, eos  
 dem quam facilime rectione edoceri potuisse, dummodo oblatis  
 occasionibus fideliter uti voluerint. Ex Platonis dogmatibus haud  
 obscure colligitur, ipsum varia Iudeis debita suis immiscuisse,  
 quamvis forte neque recte intellecta, neque feliciter applicata. Non  
 quidem adferimus Pythagoram et Platonem re ipsa ad veritatis agnitionem  
 salutarem peruenisse; sed volumus tantum eorum exemplo  
 docere, eiusmodi peregrinationes olim in usu fuisse, pluribusque ad  
 salutem prodesse potuisse. Neminem latent 2) deportationes de-  
 cem tribuum in Assyriam, et Iudeorum in Babyloniam, et Chal-  
 daeam; dispersio inter Graecos; nec non disseminatio eorum per  
 totum orbem, quae omnia innumeris inferuire potuerunt ad rectionem  
 amplectendam viam. Vocamus huc 3) commercia Iudeorum  
 cum Tyriis et Sidoniis, Salomonis praecipue aetate, inita, unde in-  
 telligentior et salutis sua studiosior quisque ad cognoscenda ea,  
 quae e re erant, facilime inuitari poterat. Quis ignorat 4) Chris-  
 tianorum dispersionem per omnem mundum, mox post initia chris-  
 tianissimi factam, quae arctissime coniunctam habuit praedicationem  
 euangelii, ab Apostolis et viris apostolicis administratam, ita ut fa-  
 ma ipsorum in omnem mundum exierit. 5) Quis non nouit, quam  
 vehementer multorum animos moverint cruenta martyria, quae  
 subierunt ciues Christi? Cum 6) successu temporis prouidente Nu-  
 mine contingit, ut principes, Christo qui nomen dederant, varia  
 regna, gentium potefati olim subiecta, occuparent: quilibet intel-  
 ligit, hoc ipso pluribus desideratissimas occasions subnatas esse ad  
 veram salutis viam perueniendi. Et quis in dubium vocare potest  
 7) conuersiones principum gentilium effectisse, ut lux euangelii ibi  
 spargi potuerit, ubi merae aduersane tenebrae? 8) Quid non effici  
 potuit et adhuc potest, per commercia, quae Christiani inierunt  
 cum gentibus maximopere dissitis; et 9) per itinera christianorum  
 literaria, imo etiam curiositatis caussa suscepta, per totum, quaqua  
 patet, mundum? Quis 10) non reminiscitur christianorum a barba-  
 ris in seruitutem redactorum et pro mancipiis venundatorum, qui-  
 bus Numen ut euangelistis subinde uti potest. Sic vicissim 11) exem-  
 pla

pla extant barbarorum , mirabiliter aliquando ad nostras oras perduorum , ibidemque conuersorum . Quod igitur olim Gibeonitis ad seruilia inter Israelitas opera praefanda condemnatis contigit , Ios . IX . , ut salutarem cognoscere valerent doctrinam ; saepe numero idem nostrae aetatis barbaris accidit in christianorum potestatem redactis . Denique non iniuste hoc referre licebit : 12 ) libros sacros in linguis exteris , maximeque peregrini idiomaticis , translatos et deinde ad populos , eiusmodi linguis videntes missos . Sane si haec aliqua diuinae prouidencie specimina probe considerauerimus , et conatus nostro tempore susceptos , ad convertendas gentes , intueri placuerit : ne illus quidem dubitare potest , veritatem illis , qui ei morem gesturi sunt , notam et manifestam fieri posse .

§. XLVII.

Extraordinarie si Deus homines ad meliorem viam ducere studet , eosque propius vocatos esse vult ; tum vel immediate , vel mediate in eiusmodi homines operari potest ; sive interdiu , sive noctu . Immediate dum agere vult Deus , reuelare potest hominibus ea , quae scire interest , alloquo et voce coelitus delapsa ; cuiusmodi quid in Paulo comparet Act . IX . 4 . seqq . Qui cum ordinario modo , tot praeconceptis opinionibus occoecatus faeuissimoque odio aduersus Christi adseclas imbutus , amplius conueri non posset , voce coelesti excitatus legitur ad pristinos mores relinquentos .

Quomodo extraordinaire id fiat et quidem 1) immediate ?

§. XLVIII.

Quod si vero mediate agere voluerit Deus ; tum vel angelos 2) mediate . adhibet , quorum interuentu hominibus aliiquid reuelat ; vtpote qui ministri sunt Domini Ebr . I , 14 . ad mandata eius exequenda paratiissimi . Exempli loco nobis sit Cornelius centurio , qui de salute sua perquam sollicitus , per angelum certior fiebat , qua ratione ad cognitionem veritatis vteriorem peruenire posset Act . X . 3 . Vel nonnunquam Deus ministerio hominum vtritur . Vocandus huc est Philippus , qui ad eum , qui reginae Candace a cubiculis erat , Act . VIII . 26 . seq . amandabatur . Non minus huc pertinent illi , qui ad festum Pentecostale confuxerant Hierosolymis , ibidemque ab Apostolis , variis linguis loquentibus , magnalia Dei lingua quisque sua

audiebant A& II. quorum tria circiter millia conversi sunt. Iure  
huc vocatur Jonas ad Ninevitas ablegatus, qui suis sermonibus tau-  
tum apud eos valuit, ut sine mora vitam, male huc usque actam  
emendarent. Ion. III. Huc denique referri possunt Macedones,  
quibus a Deo destinatus erat Paulus, A&. XVI, 9. 10. Vel etiam  
per *inanima* Deus interdum vocare et excitare solet homines.  
Quem latet notatu dignissima magorum historia, qui stella aliqua,  
qualsicunque illa fuerit et quomodo cumque illis adparuerit, subiu-  
nia revelatione, moniti Bethlehēm profe*ceti* sunt Math. II. Quem  
porro fugit, quid cum praefecto Philippensem carceris factum sit?  
Ille enim ipso terrae moru perculsus, ad Paulum Silamque pellicie-  
batur, quorum opera in conuertendo eodem totaque familia eius  
non frustra fuit collocata A&. XVI, 25, seqq. Et sic totum regnum  
naturae et omnes singulares eiusdem euentus mediorum loco esse  
queunt, quibus Deus homines ad saniorem mentem deducere  
valeat.

## §. XLIX.

Reuelationes  
islae a Deo  
fiunt vel in-  
terdiu vel  
noctu.

Haec omnia, quae hucusque explicuimus, vel *interdiu* con-  
tingere queunt vel *noctu*. *Interdiu* Deus in homines operari potuit,  
vel vigilantes, saluo sensuum vsu; vel vigilantes, sensuum vsu or-  
batos, inque ecclasiis abreptos. *Noctu* si operatur Deus; vel id  
efficit hominibus adhuc in somno sepultis per immissa sonnia; cu-  
iusmodi quid forte Abraham euenit ex terra, familiaque idololatri-  
ca euocando Gen. XII. vel etiam idem facit, hominibus ex somno  
excitat, vt in Commentariensi vidiimus. Patet itaque per boni-  
tatem atque sapientiam Dei optime fieri posse, vt Deus, si hodie-  
num datur inter ethnicos, qui ad fidem se perduci passurus esset,  
nisi ordinario modo ad lucem euangelii peruenire posset, miraculus  
non paritus sit, quo eiusmodi homo conuertatur.

G&tinent  
quoque mira-  
cula 2) in me-  
diis propiori-  
bus 2) in ba-  
ptismo.

Dantur vero etiam 2) media salutis proprie *sic dicta*, adeoque  
propiora, quae, si externa species, sunt baptinus, ad regenera-  
tionem; praedicatio verbi euangelii, ad fidem accendendam; et S.  
coena ad fidem confirmandam necessaria. Nostrum itaque erit, vt  
videas-

## §. L.

videamus, an quoque in iis exceptio valeat. Quod itaque i) ad baptismum attinet, eius quidem in faciis litteris necessitas vbius docetur Mach. XXVIII, 19. Marc. XVI, 16. Ioh. III, 5. Act. II, 38. XIX, 4. 5. 1 Petr. III, 21. Quicunque igitur medium illud malitiose contemnit relictus, nec fidem in Christum obtinere adeoque nec regenerari et converti potest. At enim uero cum baptismi actualis collatio ab occasione pendeat, haec autem cuius non obtingat: quaeritur: utrum mera ipsius priuatio sine contentu damnet? Id quod recte a nobis negatur. Ad illud enim tantum obligari possumus, quod ut vel agamus vel omittamus, in nostra potestate sumus est. Referri huc merentur a) infantes Christianorum, ante baptismum, siue iam in utero, siue vix in lucem editi, vitam cum morte commutantes, et hinc sine omni culpa baptismi beneficio priuati. Iti a nostrisibus, et recte quidem, non damnantur, sed beati praedicantur. Sed quare? Quia credunt, meritum Christi, quod uniuersale est, sine interuentu baptismi, per extraordiniam, et miraculosam Sp. S. operationem, cui infantes malitiose non resplunt, ipsis imputari. Idem plane b) de infantibus gentilium valer, quando eodem modo naturae debitum persoluuntur. Haerent hi in eodem luto, versantur sub iisdem circumstantiis, locum habent in iis, que circa infantes Christianorum, sine baptismo saluandos, adesse diximus salutis fundamenta (§. XLII.). Deus quidem homines mediis istis adstrinxit, minime autem ita semetipsum, quo minus defectum ex propria culpa non deriuandum, immediate supplere et compensare posset. Vid. S. V. PRAESIDIS Theol. Bed. Vie Saml. p. 8. Accedit, quod ipse Salvator noster haud obscure necessitate baptismi minime abolitam sed hypotheticam innuat Marc. XVI, 16. dum defectum tantum fidei causam damnationis constituit. Hinc rationibus sat grauibus moti, omnino statuimus, imo credimus, genitum infantes eodem modo ac Christianorum infantes, ante baptismum decedentes, et regenerari et saluari posse.

## §. LI.

Quantum 2) ad praedicationem verbi diuini attinet; manifestum est, neminem saluari sine fide in Christum. Sed vero fides requirit cognitionem eius, cui adsensum praebere et in quo fiduci-

a) in praedicatione verbi diuini \*) ratione infanciam tum.

ciam ponere volumus ; ergo supponit auditionem praedicationis, et haec demum prouenit ex verbo Dei Rom. X, 17. Sed cum auditio debita praedicationis verbi diuini sit adulorum : merito quaeritur  $\alpha$ ) quomodo infantes credere in illud queant, de quo nihil audierunt ? Infantes actu fide pollere, aperae testatur Script. S. Math. XVIII, 5. 6. Luc. I, 15. et adfirmat, eorum esse regnum coelorum Marc. X, 14. - 16. Luc. XVIII, 16. id vero cum effici nequieverit, sensuum et rationis vnu, et consequenter non ordinario modo per praedicationem verbi diuini : patet, miraculo modo eandem in illis productam fuisse. Quomodo autem id fieri possit, nostrum quidem non est explicare ; quia operationes Sp. S. immediatae, miraculose et hinc mysterii plena sunt Ioh. III, 8. Interim nobis non desunt, quibus aliquo modo possibilitatem huius rei demonstrare valemus. Cum anima tenelli vim habeat repraesentatiuum , ab una perceptione semper progreditur ad alteram, nec non ab uno actu facultatis adpetitiuae ad alterum, quamvis haec obscurissime peragantur. Sed tenellus natura est corruptus, ergo res Deo inimicas et repraesentat obscure, et ad easdem pertrahitur representationibus conformiter. Sp. S. itaque interrupit seriem perceptionum et adpetitionum naturaliter fecuturarum , et pro summa potentia qua pollet producit in eo repraesentationes obscuriores de Christo sicutque facultatem adpetitiuam ad amplectendum eundem. Fides formaliter consistit in fiducia in Christi merito omnibusque bonis annexis 2 Cor. III, 4. Eph. III, 12. fiducia vero est adpetitus sensitivus fortior, plures adpetitus sensitivos gradu minores completest. Quilibet adpetitus est conatus animae: E. in adpetitu fortiori, qualis est fiducia, plures sunt animae conatus, scilicet ad bona, per Christum parta, tendentes. Dummodo itaque Sp. S. repraesentationes in tenellorum animis de Christo eiusque bonis generat, quarum vero capaces sunt; obuium est, inde enasci posse, eodem auctore praeeunte, totidem conatus s. tendentias in illa bona. Si tot prodeunt conatus et tendentiae, oritur adpetitus fortior, quo in Christum feruntur et consequenter fiducia. Vid. CANZII *confess.* Phil. Wolff. cum Theol. p. 803. seqq. 39. seq.

## §. LII.

Auditio verbi diuini equidem adultis competit; sed cum ratione  
men illa occasiones audiendi doctores legendique praesupponat; adulorum,  
plures vero hodie etiamnum dentur, qui nihil quidquam de oracula  
diuinis citra ipsorum culpam audierunt: quaeritur  $\beta$ ) de novo;  
quomodo hi credent, vbi nihil audierunt? Facillime omnis cadit  
rei difficultas, si modo repeatantur, quae §. XLV. seqq. a nobis  
fuerunt tradita, et exemplum Adami ipsius confideretur. Ita enim;  
Deus immediate et legem ad poenitentiam et euangelium ad fidem  
in Christum praedicauit. Interim tamen, Deus pro sapientia sum-  
ma miraculis ad voluntatem suam communicandam locum non facit,  
vbi fieri potest, ut aliquis ordinaria ratione in eiusdem notitiam  
perueniat. Habemus manifestum eius rei exemplum Luc. XVI, 19.  
seqq. in epulone illo, postulante, ut Lazarus ex morte suscitatus  
ad fratres luxuriose viuentes ablegaretur. Sed nihil aliud ferebat  
responsi, quam quod Moses et Prophetae ad manus essent ipsisque  
sufficere possent.

## §. LIII.

3) Tertium salutis medium proprius, in *S. coenae* vsu positum  
quod attinet, ille quidem, si occasio eiusdem datur, omnino ne-  
cessarius est ad fidem confirmandam. Interim cum et hoc exter-  
num gratiae medium, quemadmodum reliqua omnia, non plane  
vniuersale esse potest; sed casus nonnulli obueniunt, vbi praeter  
suam culpam *S. coenae* fruitione nonnulli priuantur, partim dum  
alii ex viuis discedunt ante eiusdem fruitionem, partim dum alii in-  
ter ethnicos versantur, ut illa frui nequeant: patet, vsu eiusdem  
nonnisi hypothetice necessarium pronuntiandum et recurrentum esse  
ad immediatam Sp. S. operationem, per quam illud in homine effi-  
cit et producit, quod, si possibilitas vius mediorum daretur, non  
nisi adhibitis istis habere posset. Per consequens datur et hic mira-  
culum gratiae; et valet tritum illud, alio in casu non adhibendum:  
crede et manducaisti. Conf. *S. V. PRAESIDIS Theol. Bed, I. Saml.*  
p. 86. *V. Saml. p. 346.*

2) in vsu *S. Coenae.*

Dantur etiam miracula gratiae 2) post conuersiōnem 1) in sanctitatis studio.

Satis egimus de mediis, progredimur nunc II. ad modum, quo Deus cum conuersis agit. Percensēbimus hic varios, in quos conuersi incurere possunt, status, percontaturi, vbi aliquid miraculof valera queat. Excipit itaque 1) conuersiōnem et mentis mutationem sanctitatis studium adeo necessarium, ut illa sine hac ne cogitari quidem possit. Tum enim per Script. S., tum per naturae humanae indolem, tum per experientiam claret, conuertendos neque simul perfecte illuminari, neque adeo omne malum plene auerſari, neque ad Deum validissime petrahi; sed tantum prima fundamenta vitae Deo placitiae ponи. Decrementa itaque in malo atque incrementa in bono sanctitatis studium constituant, quae vero in homine finito, ordinarie nonniſi per iteratas saepius eiusdem generis actiones, adeoque successiue et intra temporis spatium aliquod adquiri possunt. Interim hoc non obstante iure adfirmamus, Deum aliquem in instanti, et consequenter per miraculum ad insigniorem quandam gradū transferre posse, quem ordinarie vix interieclō longiori temporis intervallo adeptus fuisset.

Quod ultius confirmatur.

§. LV.  
Neque haec cuiquam difficultatem creare poterunt, dummodo infinitum Dei intellectum, et immensam potentiam perpendit. Quidni enim Deus, omnium intentionum et veritatum auctor, qui viam breuissimam, impedimenta in quocumque individuo obvia, et methodum ea remouendi optime nouit, et quae nouit sine mora effectui dare potest, hominem aliquem, si quidem ipsi conueniens estet, illico ad insigniorem illuminationis gradum eucnere atque hinc ad excellentius honorum studium promouere posset? Exemplo satis illustri id Script. S. probat AEt. II. Apostoli enim, cum adhuc discipuli Christi in terris viventis existenter, hem! quam multis et vanis de regno Messiae terrestri, de gloria in eodem obtainenda, de subiugandis omnibus populis occupati erant opinionibus; quam parum de rebus spiritualibus intelligebant, quantis tenebris incoluti erant illi, si cognitio nem veritatum in Script. S. manifestatarum respicias! Et en! eosdem per superuenientem Sp. S. exemplo ad egregiam cognitionis rerum spiritualium menſuram, ad praeclarum sanctitatis, inque ea fidelita-

tis,



tis, fortitudinis et parthesiae gradum adscendentibus. Qui probe per-  
tenderet, quantum temporis opus sit homini perspicaciōri, usque  
diuī vñam tantum, tacebo plures, praeconceptam opinionem exuat,  
et aliam contrarie oppositam induat; is sane nunquam in Apostolis  
ordinarii quid evenisse adseret. Patet id etiam 1) ex eo, quod id  
ipsum Christus Spiritui S. vindicet, quem se ipsis mislurum polici-  
tus erat, Ioh. XI, 26. XVI, 13. Act. I, 6.-8. 2) vero ex eo, quod  
ipsi Apostoli instantaneam hanc sui immutationem virtuti Sp. S. ac-  
ceptam tulerint Ag. II, 16. seqq.

## §. LVI.

Possunt haec satis feliciter applicari ad eos homines, qui morti-  
vici per Dei gratiam adhuc converuntur, mortaliitatē autem mox  
erepti, quo minus sanctitati operam in his terris dare queant, im-  
pediuntur. Cum minime credamus, hos eam ob causam damnan-  
dos esse, neque nobis persuadeamus, eosdem vel sic ad beatorum  
sedem perduci: vel statuendum erit, ipsorum animas tantisper loco  
aliqui intermedio, vteriori eorum purgationi destinato, mandari;  
vel admittendum, quod Deus miraculoſe insigniorem aliquem lucis  
vitaeque spiritualis gradum ipsis indulgeat in articulo mortis, ut di-  
gni sint, qui ad coelestia gaudia sanctasque animas intromittantur.  
Prīus quidem per pluribus placuit; in quorum numerum reserimus  
Auctorem recentiorem libri, qui vocatur: *Le Systeme des anciens et  
modernes sur l'état des âmes séparées des corps*, Amstel. 1733. en qua-  
torze lettres in lucem emisi: sed cum Script. Si. de eo admodum  
fileat, et per latronis exemplum longe aliud doceat; merito illud  
respuimus, statuentes, Deum supernaturaliter cum eiusmodi homi-  
nibus agere, contentum, eos in his terris sanctae vitae initium saltem  
fecisse.

## §. LVII.

2) Cum homo ad sanctitatis studium incumbens, non raro in  
difficillimos casus incida, ex quibus se ipsum extricare non valet:  
per bonitatem Dei fieri posse simiter credimus, illum eidem non de-  
futurum esse; eumque, si via ordinaria edoceri nequit, nec mira-  
culis parcitur, et reuelationibus diuini aut nocturnis ipsi succur-

Et ad homi-  
nes sero con-  
uerſos appli-  
catur.

1) et 2)  
similiqueq  
libre in end  
andina  
ondo andrea  
atrum huc

2) in diffi-  
cilioribus caſi-  
bus, in quos  
nonnu-  
quam pī in-  
cidunt.

furum esse, praesertim in casu aliquo momentosiore. Quem latet Magis facta diuina admonitio, qua per somnium instruebantur de mutanda itineris via in patriam. Math. II, 12. Huc etiam pertinet visio Petri, qua de conuersione gentilium instruatus fuit Act. X, 10. seqq. Licer enim Apostoli Spir. S. dona acceperint, intellexerint que, gentibus quoque salutem per Christum partam vici fore; nondum tamen vel tempus sciebant, vel modum, quo conuersio gentilium efficienda erat: neque intelligebant, quosnam Deus in primis exhibitus esset ad magnum illud opus perficiendum. Huc usque etiam nihil damni adferebat ministerio Petri, haec nesciisse; at nunc oeconomia diuina ignorantium hanc in Petro non amplius ferrebat, quoniam ministerio eius tota Cornelii familia ad fidem in Christum perduci debebat. Quoniam vero ordinarie hac de voluntate Domini instrui non poterat, vt pote qui amori suae gentis nimium quantum dabat: necesse erat, vt Deus immediate eundem hac re certiore faceret.

## §. LVIII.

3) in variis  
perpessioni-  
bus et adfli-  
ctionibus,  
quibus obno-  
xi sunt.

3) Cum homines renati a reliquis peccati originalis non nisi morte demum liberentur, quibus ad malum morale patrandum nunquam non stimulantur: sequitur, vt mala etiam, quae peccata secum ferunt, physica non possint non sentire. Quia porro per Satanam malosque homines variis modis vexantur; manifestum est, eosdem variis tentationes et persecutions suscipere oportere. Cum porro schola crucis sit schola pietatis; quid mirum, quod Deus faliuti hominum prospexit, non raro piis varia immittat mala huic vitae, quae crux adpellamus. Passiones autem istae saepius ita inualeant, vt humeri hominis christiani iisdem perforendis vix ac ne vix quidem pares sint. Et tum certe bonitas Dei infinita postulareret, vt eosdem liberaret. At vero ordinaria talis liberatio ipsorum saepius Deo repugnat; hinc necesse esse videtur per bonitatem diuinam, vt extraordinarie illis succurrat, vires ad perforandas afflictiones porrigit, animum confirmet, ineffabili solatio eosdem perfundat, summamque fiduciam in illis generet, ita vt vel dirissimas tentationes atque exquisitissimos cruciatus exultibundo animo tolerare queant, ipsis persecutoribus in stuporem atque admirationem raptis.

raptis. Quod si vero cum sapientia Dei et fine optimo consistere potest, ut eiusmodi homines liberentur; id vero ordinarie haud commode fieri possit: quis dabitur, Deum eosdem etiam permisaculum ex maximis periculis erupturum esse?

§. LX.

Per partes hic ibimus, ea explicatur, quae ad auxilia in afflictionibus tolerandis praestata pertinent. Et primo quidem in mente nobis venit promissum illud Christi Math. X, 17. seqq. quo pollicitus est, se, liceat in se maxime rudes et illiterati ad tribunalia pertraherentur, Spiritus S. opera immediata effecturum, ut scirent, quid et quomodo loquendam sit. Quo factum est, ut facile et fortiter sine praevia meditatione veritatem defendere et imperterite causam dicere valerent. Vix exempla? intuere Petrum et Iohannem, ex carcere protractos, coram principibus, senioribus, scribis et in primis coram Anna, Caipha, Iohanne, Alexandro, et toto sacerdotali genere constitutos et publicae inquisitioni expositos, et perpende, quam feliciter, heroicè et eloquenter omnia edisserant, ita ut ipsi metu illi proceres eorum parhesiam attoniti admirarentur, Act. IV, 3. 5. - 14. Eundem Petrum et reliquos Apostolos reprehendit Act. V, 20. seqq. Adde Stephanum cap. VI, 12. seqq. et VII. et Paulum Act. XXI, 27. seqq. Is profecto coecus sit, oportet, qui Oeconomy hic esse aliquid non agnoscit.

§. LX.

Pergimus secundo ad ipsas persecutionses ciuitatum Christi, quae, quando vnde vires eorum superare videbantur, sustineri tamen potuerunt, persecutions quia extraordinaria Dei gratia fruebantur. Videbimus initio exemplum persecutionum internarum gloriose toleratarum in Paulo 2 Cor. XII, 7. seqq. quem angelus Satan ita excrucibat, ut haud minores sentiret dolores, quam palo adfixus, crudelissime et sine cessatione percussus. Quam acuta et horrenda tormenta senserit, præter alia vel ex eo patet, quod Paulus tribus repetitis vicibus Deum flagitauerit, veller intermis istis afflictionibus aliquando finem exoptatum imponere. Sed quia paullo ante insignis illa reuelatio ipsi contigerat, preces istae Deo displicerunt, ne forte hanc gratiam peculia-

Quando ad  
tribunalia  
protracti fu-  
runt.

rem immoderate ferret. Interim tamen gratiōe ei addebatūr vires supernaturales, quae sane in infirmitate, quacum collababatur, plane admirandae atque inexpectatae erant, ita ut nunc laetabundus quaecunque preferre potuerit.

## §. LXI.

Et externas.

Veniemus vero etiam ad perpessiones externas, et hoc merito referimus martyrum plurimos, qui, mirantibus ipsis tortoribus et immensissimis persecutoribus, omnia cruciatuum genera, fiducia plena, animo hilares et imperterriti sustinuerunt. Tribuerunt hoc quidem nonnulli insigni cuidam pertinacie; sed ponamus, ut largimur, hominem quandam id ex mera pertinacia sustinere posse; num in iisdem, quos christiani martyres sustinebant, cruciatis eundem animum hilarem conservabit, num pro persecutoribus preces ad Deum effundet, vt Stephanus A& VII, 59. num cum Paulo dicere poterit: *Non fatigamur, sed homo internus, anima, mens nostra quotidie magis magisque renouatur.* 2 Cor. IV, 16. Et quid opus est pluribus, vbi Paulus ipse Rom. VIII, 35. seqq. veram eius rei causam satis luculentiter exposuit. Hinc ista parhesia, hinc illa mens hilaris, ita ut multi cum Tertulliano dicere potuerint: *nihil senit crux in nervo, dum animus est in caelo:* et cum alio; nihil agis dolor, intus est qui leniat. Conf. SAGITTARIUS de cruciatis martyrum.

## §. LXII.

¶ quando in maximis vitae periculis verati sunt.

Restat tertio, vt de miraculosis liberationibus pie viventium ex maximis periculis aliquid dicamus. Pertinent huc triumviri in fornace ardenti inclusi Dan. III. Cum enim gloria Dei non patetur, vt, sui causa in ignem conieci, interirent; eosdem cum naturaliter e manu regis eripi non possent, miraculose eripuit, flammis ignis a motu cohibendo, ita ut illae si exierint. Non minorem mouet admirationem Daniels exemplum, qui cum impio Darii regis mandato obsequi noller, leonibus quidem obiectus est, sed altera die ab iis illasius iterum prodiiit. Dan. VI, 16. Vocamus huc etiam Petrum, qui sequenti die supplicio tradendus, sed diuina virtute ex carcere liberatus fuit A& XI, 3, seqq. Paulus item lapidibus obrutus,

et

et extra urbem cadaveris ad instar trahit, surgit, in urbem redit, omnipotens Dei a morte liberatus, Act. XIV, 19 seq. In hunc censum referunt nonnulli Iohannem, in fervens oleum coniectum, sed ex eo erupsum; ast quia sub iudice adhuc haec lis est, silentio hoc exemplum premimus. Conf. S. V. PRAESIDIS *Auszug der Kirch. Gesch. P. I.* p. 442. Interim non deerunt alia plurima exempla ex Hist. Eccles. facile repetenda, quae iam breuitatis studio non enarrabimus.

## S. LXIII.

4) Denique nemo virtuti deditorum est, quin aliquando sensu 4) in praegustacis, gaudii spiritualis et gratiae suauissimae demulcentur, licet stū virae ac gradus, pro diversitate subiectorum, huius sensus valde sint digerendi. Vid. S. V. PRAESIDIS *Theol. Mor.* §. 78. Sed vero fieri saepe solet, vt Deus sapientissimus ex caelis huic vel illi maiorem extantiorum et penetrantiorum coelestium bonorum sensum indulget, quam aliis, quod aliquando non sine miraculo fieri solet. Tertius nobis est Moses Ex. XXXIII, 18, seq. qui faciem Dei videre gestiens, promissum accepit v. 19. a Deo, se facturum, vt omnis bonitas coram ipso transiret, addito epiphonemate; Deum ad excessum usque quasi misereri, cuiuscunque veller misereri, eique gratiosum esse ad stuporem veluti, quem peculiari complecti veller gratia. Pertinere non minus hic videtur Paulus, in tertium coelum reptus, illeidem que ineffabilia Dei verba audiens. Quid enim aliud haec sibi volunt, quam eum talia contemplatum, iisque perfutum esse rebus, quae mortalis homo in hac vita eloqui nequit, eundem aliquid gaudi coelestis perceperisse, atque perspexisse, quanam in dole vita futura sit praedita. Et haec Paulum cognosuisse, sapientiae Dei quam maxime consentaneum erat. Nihil enim ei contingere poterat, quod fortius et praestantis solamen in omni calamitate eidem praebaret, quam reuelatio eiusmodi diuina; nihil quod dolores animi corporisque magis minueret, ad labores immensos incitaret, ad negligendos contentus, molestias, afflictiones et pericula animaret; quam cognitio viae fortis beatissimae et gloriose, quae ipsi olim certo obtingerer, et mercedis, quam pro tot laboribus et afflictionibus, quot pro Domini causa sustinuerit, expectare posset. Vid.

VITRIN-



VITRINGA *Obs. Sacr. Lib. III. c. XX.* Referimus huc quoque eos, qui penitus vita aeterna praegustu, ordinariam supergressio mensuram, aliquando non sine peculiari Dei operatione gauisi sunt. Conf. HENKELS *lezte Stunden*, nec non BAERI ET PFAFFII diss. de *praegustu vitae aeternae*. Denique huc etiam vocari merentur, qui, propter vitam rectissime gestam, non demum morti traditi sunt; sed iam in his terris miraculosa reportarunt proemia, dum viui in coelum translati fuerunt. Quem fugiunt exempla Enochii Gen. V, 23. et Eliae, 2 Reg. II. qui contra naturae ordinem viui in coelum rapti fuerunt. Forsan eiusmodi quid etiam de Mose adserere licebit, cum Script. S. ipsa rationem quandam suppeditare videtur, siquidem Mosen et Eliam Christo adparuisse et cum eo collocutum esse, Math. XVII, 3. expressis adfirmat verbis. Quod enim Moses Deut. XXXIV, 5. mortuus esse dicatur, contra nos minime pugnat; eum enim morti simile quid expertum atque transmutationem quandam passum fuisse, a vero plane non abhorret.

## §. LXIV.

Obtinet  
eriam 2) mi-  
raculum,  
quando pecc-  
atum origi-  
nale eradicari  
debet.

III. Locus adhuc pro miraculo in regno gratiae superesse vi-  
detur in illo temporis articulo, quo cum Christo vnius ex hac vita  
migrat in vitam beatam quod in *eradicatione omninoda peccati origi-  
nalis* positum est. Quantumvis Christi cultores sanctitati in his ter-  
ris Rudeant; ne illus quidem inuenitur tamen, qui ipsam peccati  
radicem i. e. connatam dispositionem se a bono abstrahendi et ad  
malum determinandi, funditus extirpet, quoisque vinit Rom. VII.  
At enim uero ad visionem Dei beatificam nemo peccati lue infectus  
admititur; hinc homines, in illam coelestem felicitatem transferen-  
di *τούργειοι*, qui et ipsi omnis peccati expertes sunt, euaderene-  
cessere habent. Hinc claret, homines transacta hac vita a peccati  
labe liberandos esse, antequam societati beatorum adiungantur.  
Quidam sibi necessitatem statuendi loci intermedii, purgandis ul-  
terius animabus destinati, hic sibi inuenisse visi sunt (§. LVI.). Sed  
licet concedamus, animam, remoto corpore, abstrahi ab infinitis  
peccandi occasionibus; porro, animam ex principio regenerationis,  
intercedente in primis longiori temporis spatio, continuos in sancti-  
moniae studio facere progressus, et habitum prauum magis magisque  
debi-

debilitari, bonos vero habitus indies magis inualescere: nihilo tamen minus ille non demum per prauam consuetudinem contracitus, sed congenitus adeoque plane naturalis mali fomes, et principitum remanet, quod nunquam naturaliter extirpari potest. Hinc facile fieri potest, ut adperitus praus, oblata occasione, erumpat, peccatumque admittatur, quo posito, labendi periculum nunquam hypothetice sit impossibile. Nil ergo restat, nisi ut dicamus, cum mali fomes plane extinguendus sit; illud autem modo, qui in regno gratiae naturalis est, obtineri nequeat: euellendum eum esse supernaturali et miraculoso modo. Hinc necesse est, ut agnoscamus, hic esse miraculum in transitu ex regno gratiae in regnum gloriae.

SECTIO III.

DE

VSIBVS EX HAC TRACTATIONE  
CAPIENDIS.

§. LXV.

**L**ongius forte iamiam quam par erat, patientia lectorum abusi sumus: ne igitur decori minus studiosi reputemur, tribus doctrinae quae restant verbis indicare liceat. I. Discimus ex hacce primus. nus prolatis, quam sollicitus sit Deus de omnium hominum salute procuranda, ita ut non solum praeciarum gratiae ordinem confituerit; sed etiam, si ille in omnibus adhiberi nequeat, et homo tamen conuerti possit, supernaturalibus veatur.

§. LXVI.

II. Et id quidem non tantum olim obrinuit, sed ceteris pari- Secundus. bus etiam hodie locum habet; qui Deus immutabilis et homines in eosdem necessitatibus atque expedientiae casus incurrire queunt.

§. LXVII.

III. Desistere itaque officium erit nostrum ab iniustis diiudi- Tertius. cationibus viarum Dei, atque ab iniquis murmurationibus aduersus Deum, certo persuasi, Deum facere, quod fieri potest, et num- quam facere minus, vbi facere poterat maius.

G

§. LXVIII.

## §. LXVIII.

Quartus.

IV. Hinc nuspianam miracula in regno gratiae postulemus, ubi Deus actu non praestitit. Quaevis enim nobis necessaria utilisque videantur; aliter tamen Deus iudicat, qui totum nexum perficit, eumque exactissime cum suis perfectionibus confert. Hinc repulsa tulit epulo gehennae mancipatus Luc. XVI. Sunt, qui vellent, ut Deus nullam textus depravationem particularem, et hinc nullam lectionem variantem admississet. Sed hi non perpendunt, sic rotide miraculis opus fuisse, quot fuerant scribae facri textus. Et cuinam haec omnia vsui? Nulli: quia 1) certo constat, in rebus plane necessariis nullam depravationem esse factam; et 2) quia ex canonicis criticis bona que interpretationis regulis nunquam non eruit, quaenam vera alicuius loci lectio sit.

## §. LXIX.

Quintus.

V. Ex miraculis regni gratiae non vltimi ordinis argumentum pro veritate religionis christiana peti debet. Si enim ex miraculis in regno naturae, quae Deus proper regnum gratiae edidit, theologi nostrates laudabil studio veritatem illius religionis enicerunt; quidni ex miraculis, quae in ipso gratiae regno fieri videmus, eadem confirmari stabilique posset? Deus solus est, qui miracula patrandi potestate pollet Pſ. LXXII, 18. num vero is hanc potestatem adhibebit ad coloranda mendacia? Parum reverens Dei esset, qui ita cogitaret.

## §. LXX.

Qui exemplo  
illustratur.

Habemus efficacie huius argumenti extantissimum nostrae aetatis exemplum. De LITTLETONO notum est, eum in empaetarum Declaraturumque castris olim militasse, ac veritatem religionis christiana cum ore tum scriptis impugnasse. Accidit vero, vt libros N. T. diligent manu versans, in istud gratiae miraculum incideret, quo Paulus ad conuersacionem perductus est: cuius meditatio tam mirabiles in ipso produxit effectus, vt ipsem, perinde ut Paulus, ex Christianismi insecatore acerrimo, felicissimus eiusdem defensor euaserit. Ita enim ad ducum Paulini negotii argumenta-

tus

*De usibus ex hac Tractatione capiendis.*

¶

rus est: Cum Paulus truculentissimus antea christiani nominis hostis, fidelissimum Iudaismi et nominatum Pharisaismi mancipium, nulla cum veri specie, neque pro impostore, neque pro fanatico a Phantasia deluso, neque pro homine credulo, cui alii aliquid imposuerint, haberi queat: sequitur, vt, quae re ipsa euenerunt, prout ab ipso exposita sunt, summa fide reculerit. Si vero vocem de coelo lapsam commemorat, adeoque diuinam, quae, pristina vi- uendi ratione eius damnata, illam ad Christi fidem amplectendam cohortabatur: num, quaequo, cogitari potest, Deum, Christi do-ctrina si fallax esset, eandem salutis suae de cetero non negligenti commendaturum fuisse? Imo potius ex his sequitur, Paulum, quamvis hue usque zelo pro Iudaismo flagrauerit, opinatusque fuerit, se Deo rem gratam praestare, si christianos persequeretur, in errore antea haesitile sententia, nunc vero a Deo, qui volenti quam luben-tissime succurrit, miraculose consersum esse. Conf. LITTLETON Anmerkungen über die Bekehrung und das Apostelamt Pauli zum Be-weis der Wahrheit der christlichen Religion. Optandum sane esset, vt multi aequo animo id pensitarent, et a praeconcepsis opinioni-bus semetipsos liberare vellent; hac enim ratione non posset non fieri vt hominum salus promoueretur, et omnium miraculorum ultimus attingeretur

F I N I S.



G 2

ARTIVM

ARTIVM ET PHILOSOPHIAE  
MAGISTRO

HVIVSQUE DISSERTATIONIS SCRIPTORI  
CLARISSIMO

S A L. P L V R. D I G.

P R A E S E S.

**E**orum, quos ex disciplina mea in cathedram deduxi, et  
solemni missione publice data alis commendatum iui,  
admodum paucos habui exploratius cognitos atque tam  
diuturnioris industriae factorumque progressum conscientia,  
quam datorum doctrinae et virtutis documentorum dexteritatisque  
speciminum fide certius compertos, longe vero pau-  
ciores quos quo fidentius eo certe lubentius laudauerim, quam  
singula haec Dei beneficio in TE mihi obtigisse insigniter lae-  
tor, mibique non magis quam utilitati publicae ex animo  
gratulor. Integrum enim quinquennium in hac academia  
bonarum litterarum et sanctioris in primis doctrinae studio  
ita tractasti, ut diligentissima laborum affiditatem, constan-  
tissima virium contentionem, et prudentissimo boni ordinis stu-  
dio aequalium nemini quidquam concesseris. Ex ordinis no-  
stri doctoribus Magnifici MICHAELIS scholis biblicis tam  
gra-

graecis quam hebraicis, neque minus arabicis, Vener.  
KNAPPII enarrationi historiae sacrae veteris et noui  
testamenti, meis vero auditionibus dogmaticis, herme-  
neuticis, exegeticis, Theologiae moralis, antitheticis,  
librorum symbolicorum et litterariis, disputandique exer-  
citiis biennium continuatis enixissime operam dedisti: atque  
praeterea in auscultandis Perillustris WOLFFII, Cele-  
berr. LANGII, STIEBRITZII et MEIERI ac  
Clariss. EBERHARDI institutionibus philosophicis,  
philologicis et mathematicis industriam collocasti, lauda-  
bilem. Accessit ad hanc notisiam experimentorum diligen-  
tiae TVAE intimior consuetudo et familiaritas, quae  
mibi TECum fuit, quem maximam partem temporis hic  
transacti conuiclorem quotidianum habui, morum verecun-  
dia, officiorum obseruantia, bonae mentis studio, vitae ani-  
mique aequabilitate, atque ipso proficiendi ardore commenda-  
tissimum. Neque desuisti opportunitatibus periclitandi pu-  
blice vires et profectus approbandique auditoribus pariter ac  
lectoribus labores non perfundorie praecipitos. Ut priua-  
tas publicasque disceptationes eruditas non commemorem,  
quarum plerisque interfui; bis et vicies in amplissimis urbis  
huius templis verba fecisti pro concione sacra; in disputatione  
inaugurali ad capessendos summos in philosophia honores ab  
amplissimo ordine philosophico TIBI decretos moderatore  
Excellentiss. STIEBRITZIO habita vindicias edidisti  
praescientiae diuinae a Perillustris HOLBERGII dubi-  
tationibus, in commentarios meos de libris memorabi-  
libus aliquot librorum descriptiones confecisti, quae in illis

partim iam comparuerunt, parsim breui prodibunt. Nihil  
igitur verendum est, ne altera hac disputatione theologica im-  
minuas laudem et existimationem bonorum, quam ex cathe-  
dra philosophica consecutus es. Ut ipsa argumenti, ardui  
certe, foecundi et accurata disquisitione dignissimi, optio  
TVAE unius solertiae debetur: ita omnem illius tractatio-  
nem integrum TIBI relinquendam esse duxi TVO meo-  
que iure, licet tam conspectum laboris, quam ipsum scri-  
psum bis lectum studiose recognouerim, quod nulla retracta-  
tione mea indigere praecclare intellexi. Age nunc, CLA-  
RISSIME THENN, laudabiliter peracto hoc posstre-  
mo apud nos labore, in patriam redi auspicato, doctrina,  
virtute, bonorum spe et expectatione, votis pro TE nuncu-  
patis et supplicationibus Deo factis onuslus; atque TVIS  
redditus TE ipsum imitare, TECUM certa, ut vel ipse  
TE superes, quod adhuc fecisti, vel cogites saltem, ne licere  
quidem TIBI iam, tirocinis adeo praecclare positis ac tot  
tamisque laboribus superatis, non TVI similem esse. In  
patria Patronos et Fautores, quos velle mihi noueris, ami-  
cosque communes mei non immemores, meis verbis officiosissi-  
me saluta, atque in rem ciuitatis sacrae, doctrinæ purioris,  
et bonarum litterarum diu viue feliciter. Dedi Halae  
ad Salam in academ. Friderician. d. VII. id. April.  
cœccccliii.

CLA.



CLARISSIMO  
HVIVS DISSERTATIONIS  
AVCTORI,  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOH. FRIDERICVS STIEBRITZ.

**S**icut singulari voluptate perfundebat, CLARISSIME DOMINE MAGISTER, cum TE nuper in cathedram philosophicam, supremis honoribus ornandum, deducerem, inque ea maiuscule respondentem animaduerterem: ita nunc mirifice delector, ubi TE praecellarum eruditioris theologicae specimen publicae opponentium disquisitione permisurum esse intelligo. Luculenter hoc ipsa demonstras, quam bene tempus in Academia collocaueris, quam idoneus sis ad utilissimam operam aliis in posterum praestandam, et quam imitacione dignissimum exemplum aliis, ut TVI similes evadant, retinutas. Placet mibi argumentum, quod ad disputandum solegit; placet quoque distincte solideque expedita elaboratio; et mibi nullum est dubium, quin aliis ea de re sis placiturus. Cum vero me in numero pugnantium valueris TE esse volueris, subibo quidem demandatum officium; sed facile praevideo, TE pro dexteritate TVA prolatis contra veritatem dubioli sine negotio esse satisfacturum. Restat in praesentia, ut TIBI, VIR PRAENOBILISSIME, academicos labores, fine exoptato coronatus, insignes profectus in Philosophia, Philologia et Theologia, summa cum laude atque impigo labore adquisitos, et denique virtutem, qua mentem imbutam habes, ex animo gratuler, Deum pregastr, velit TE saluum sospitemque ad patrios lares reducere, coepitis eundis clementer adnuere, uberrimam occasionem bene de atiis, de patria, de urbe eruditio, de ecclesia, mendendi, TIBI subministrare, dignissime TVA virtute premisis TE condecorare. Vale, amoremue TVVM, quem praesens mihi tribuisti, absens etiam mihi indulge, de mea in TE voluntate plane certus atque securus! Dabam in regia Fridericia d. 5. Apr. MDCC LIII.

VIRO



VIRO PRAECLARISSIMO, DOCTISSIMO  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO  
DIGNISSIMO,  
FAVTORI ATQVE AMICO SVO  
LONGE AESTVMATISSIMO, SVAVISSLMO

S. P. D.

IOANNES AVGVSTVS VRLSPERGERVS, AVG.

S. S. TH. C. OPP.

**Q**uas ad TE, AMICE SVAVISSLMO! litteras iamiam dandas mecum constitui, quum nec TVAE commendationi, quae et nulla a me proficiat omnino potest, queaque, si posset, per TVA ipsius merita omnibus satis commendatus, egregie careres, destinatae sint; nec pro nouo atque insigni amicitiae, diligentissime inter nos cultae, sigillo quadam, utpote de cuius temerrimo affectu TIBI alijs optime constat, haberi queant; nec denique ullo modo TVIS commodis inservire videantur: nullum sibi scopum alium habent praefixum, nisi vt, quod TVI gñarus nemo inficias ibit, publice proficentur, TE, quod Dei gratia acceptum feres, cum profunda theologicæ scientiae cognitione eius praxin, cum vraque vero frontem serenam integragramque mentem felicissime coniunxit. Catus rei, quo plura eaque pulcherrima prostant exempla, quibusque hoc ipsum quod iamiam edis, nefcio magis dignitate sua thematische utilitate, seu soliditate et scriptioris elegantia conspicuum specimen adnumerabis: eo maiori iure ea omnia tacebo quae, quamvis TIBI honorifica, omnibus tamen dudum nota, nimis tarde a me praedicarentur. Quare nibil mibi restabit nisi vt TIBI eximios TVOS profectus ex animo gratuler, mentisque meae vota sincerrima, cum omnibus iis ardentissime coniungam, qui TE amant, de TVIS meritis laetantur, omniamque TVI causa et volunt et cupiunt. Deus T.O.M. TE nunquam non saluum esse iubeat atque incolumem, TVIS gratissime conatus annuat, Teque Virum euadere finat, non quem speramus, sed plane confidimus ecclesiae coevique Christiano longe utilissimum atque proficuum. Si quid est quod abs TE humanissime petam, hoc erit vt mibi cum favorem TVVM eamque TVAM amicitiam conservare et in posterum velis, quam baculus in me, TVI nunquam inimorem, abundanter contulisti. Sic valeas mibi, sic TVIS sic PATRIAE. Valeas mibique favere pergas. Dabam Hal. ad Sal. d. 5. April. M DCC LIII.



Ib 2639


(x2258286)

ULB Halle  
004 733 86X

3







DISSE R TAT I O T H E O L O G I C A  
DE  
**MIRACVLIS  
IN REGNO GRATIAE**

Q V A M  
P R A E S I D E  
V I R O  
SVMME VENERABILI, EXCELLENTISSIMO  
DOCTISSIMO

**SIGISM. IACOBO BAVMGARTEN**

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE ET PROF. PVBL. ORDIN.  
SEMINARII THEOLOGICI DIRECTORE  
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO  
ACADEMIAE REGIAE BEROLINENSIS SOCIO  
PRAECEPTORE AC PATRONO PIE AC DEVOTE  
AD CINERES VSQVE COLEND O

D. APRILIS A. CICCLIII  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT

A V C T O R

**M. IOANNES CHRISTOPHORVS THENN**

A V G V S T A - V I N D E L I C V S.

HALAE MAGDEBURGICAE  
TYPIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.